COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXVI. PARS II.

LIPSIAE, MDCCLXXXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Iosf. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Kongl. Svenſka Vetenſkaps Academiens Nya Handlingar T. II. för 1781. Stockholm 1781. 8. plagg. 23. tabb. aen. VIII.

i. e.

Noua acta Academiae regiae ſcient. Suecicae, Tom. II. annus 1781.

Trimeſtre primum.

I. SV. RINMAN continuat experimenta *de colore viridi ex cobalto.* Ex cobalti et ſalis communis ſolutionibus mixtis oritur notum illud atramentum ſympatheticum, quo, quae in charta pinguntur, calefacta vireſcunt, euaneſcentia, dum charta refrigeratur. Illi colori viridi figendo, vt tam in frigore, quam in calore appareat, pigmento vero pulueris forma exhibendo, idoneum eſt zincum in aqua forti ſolutum. Solutio filtrata, odore orba, mixtioni, quam diximus, additur, mixtura diluitur, ſatura ſolutione cinerea clauellatorum praecipitatur primo zincum albidum, deinde cobaltum rubicundum, praecipitatum aqua calida abluitur, qua per filtrum tranſmiſſa, quod in illo remanet, ſiccatur. Ita habetur calx albida coloris carnei, quae in mortario vitreo trita, deinde igni, donec candeat, expoſita, pulcre viret, varie pro diuerſo ignis gradu et zinci additi quantitate. Haec materia variis picturae generibus adhiberi, et aliis pigmentis addi poteſt. Sequuntur alia tentamina, ex quibus varia colligit noſter, vt atramentum ſympatheticum, quod diximus, non naſci a ſolutione niccoli, niſi cobalti quidpiam admixtum ſit, haec autem duo p. 2.

metalla omnino diuerſa eſſe et pluribus characteribus diſtingui.

p. 13. II. *Aſcarides lumbricoides exſertis, qui ipſis adhaerent, faſciculis* vlterius examinat IO. L. ODHELIVS. Pertinent huc obſeruationes ipſius ODHELII, BLOMII et MÜLLERI in actis 1776 contentae.*) Iam vermem vomitu eiectum accuratius examinavit et diſſecuit, faſciculos vidit cum inteſtinis connecti, quae accuratius deſcribit, corpuſcula oblonga rotunda vidit, quae pro ouis poſſint haberi. A MÜLLERO didicit, vermes, illis, de quibus hic et in citatis locis Actorum agitur ſimiles, deſcripſiſſe iam TYSONEM in tranſact. philoſ. n. 147.

p. 20. III. BJERKANDER deſcribit *erucam* hactenus incognitam, quae in *Rubo idaeo* habitat, eiuſque phalaenam.

p. 21. IIII. OTTO FR. MÜLLER nouis obſeruationibus auget, quae in hiſtoria vermium infuſ. p. 60. edidit *de Gonio pectorali.* Animal conſtat globulis ſedecim, membrana mucilaginoſa coniunctis. Eorum ſingulos vidit ſolui in alios globulos 16, animal ſimile conſtituentes. Opus autem eſt microſcopio egregio.

p. 28. V. DAN. a THVNBERG machinam deſcribit, qua *pali* fundo aqua tecto infixi, *ſub aqua ſerrae ope reſecentur.*

p. 36. VI. IO. HAARTMANN *de febribus annorum* 1774, 75, 76, 77. Graſſatae ſunt iis annis febres in Aboa Finnlandiae et vicinis locis, inprimis inſulis litori vicinis ipſiusque litoris partibus humilioribus prominentibus, quae Sueci *Skärgården* appellant, Germani *Scheeren*, a quibus ipſis febres *Skärgårdsfebrar* appellabantur. In his morbis, quae vis fuerit atmoſphaerae varie prementis, calentis, humidae aut ſiccae, explicatur, adhibitis annorum illorum obſeruationibus meteorologicis.

VII.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 67 et 75.

VII. IO. CAR. WILCKE *de menſuranda ignis ſpecifica quantitate in corporibus ſolidis.* Menſura vtitur, quam Ipſi experimenta de frigore niuis, dum liqueſcit, obtulerunt: exhibuit illa in actis 1772. p. 49. Itaque corpus, cuius calorem examinaturus eſt, exacte ponderat, deinde filo appenſum immittit aquae ad ebullitionem calenti contentae vaſe, quod brevitatis cauſſa A vocare liceat; iunctum corpori immittitur thermometrum, quod calorem extracti indicet. p. 56. Interea in vaſe alio, B, ponderatur aquae, ad thermometri punctum glaciale frigidae, pondus, corporis ponderi aequale, huic velociter extractum corpus ex aqua calida ſubito immittitur, adhibetur aliud thermometrum, quo, poſtquam aqua ſupra et infra corpus aequaliter calet cum ipſo corpore, gradus caloris exploratur. Ita haec cognoſcuntur; calor corporis ex A extracti, qui dicatur c, et calor in vaſe B ortus immiſſo corpore dictum caloris gradum habente, qui dicatur N. Ex RICHMANNI nota regula, ſi aquae ad punctum glaciale frigidae addatur aequale pondus aquae vtcunque calentis, mixtum calorem habet dimidium eius, quem habebat aqua calens. In vaſe B vero, immiſſo corpore, longe alius calor oritur, quam ex hac regula computatur. Computetur rurſus ex RICHMANNI regula, quantum aquae, aeque calentis ac corpus, dum ex vaſe A extrahebatur, adfundi debeat aquae ad glaciem frigidae in vaſe B, cuius pondus dicitur $= 1$, vt naſcatur calor, qui corpore illi immiſſo naſcitur. Hoc igitur aquae pondus $= \frac{N}{c-N}$ tantum caloris frigidae dat, quantum corpus, frigidae aequiponderans. Statuatur, tam corpus, quam aqua aeque calida, conſtare ex particulis aequalibus, quarum numeri vtique erunt in ratione ponderum, calor vero cuiuſuis particulae corporis ponatur

aequalis calori alterius particulae corporis, et ſimiliter aquae particulae aequales aequaliter calere ponantur. Hi calores aequalium particularum corporis et aquae dicantur, corporis et aquae *calores ſpecifici*, ſunt autem in ratione $\frac{N}{c-N}$: 1. Hoc modo inueſtigat corporum calores ſpecificos, aquae calore ſpecifico pro vnitate adſumto, vt moris eſt in grauitatibus ſpecificis. Quodſi vero ſpatia aequalia ponantur, vt digiti cubici alter auri, alter aquae, calorum ratio Noſtro *calor relatiuus* appellatur. Iam ad calores hos cum aquae calore comparandos, plura tentamina inſtituit cum auro, plumbo, argento, biſmutho, cupro, aurichalco, ferro, ſtanno, zinco, antimonio, achate, vitro. Leges quidem generales caloris vt detegantur, multo pluribus opus videtur, varia tamen notatu digna vidit, vt: calorem ſpecificum non eſſe in ratione denſitatis, imo denſiora corpora, vt aurum, plumbum, biſmuthum, eius multo minus habere ferro, zinco, achate, vitro, aquae calorem ſpecificum maximum eſſe. Relatiuus calor, cum ſit in ratione compoſita ex ratione ſpecifici et grauitatis ſpecificae, in auro v. c. plus quam duplex eſt eius, qui eſt in aequali volumine ſtanni.

p. 78. VIII. CAR. PET. THVNBERG narrat *de thermis quibusdam Africae et Aſiae.* In Africae parte auſtrali, quae promontorio bonae ſpei adiacet, ſeptem in locis thermae eſſe dicuntur, nullibi mons igniuomus. Thermarum quatuor Ipſe examinauit. Duarum aqua vehementer calet, vt ab igne ebulliens, ceterum puriſſima eſt, in qua nihil mineralis detegi poſſit, cibis coquendis et linteis lauandis adhibetur, non alio ac aquae vulgaris effectu; reliquae duae in locis ferro foetis oriuntur, ipſae ferro impraegnatae. In Iaponia thermas, quae *Vriſyna* vocan-

vocantur, vidit, aquam puriſſimam iudicauit, ſed, quod materiae illi negotio ad manus non eſſent, examinare non potuit. In Iaua inſula thermae, *Tji Pannas* vocatae, calcem et ferrum continent ope acidi aërei ſoluta. Inſula plena eſt montibus aliis adhuc igniuomis, aliis iam quieſcentibus.

Trimeſtre ſecundum.

I. CAR. WILH. SCHEELE examinat *lapidis gravis*, quem vocant *Tungſten* Sueci, partes conſtitutiuas, Chemicis adhuc ignotas. CRONSTEDTIO eſt ferrum calciforme terra quadam incognita intime mixtum. Noſter adhibuit, quae ex fodinis ferri Bitsbergenſibus obtinuerat. Ex hoc minerali, acido nitri, quantum fieri poterat, ſoluto, praecipitatam ope alcali tartari obtinuit calcem aeratam; ope alcali volatilis extractum, ex quo acido nitri praecipitabatur puluis albus, acidae naturae, difficilius in aqua ſolubilis. Ex vtriſque his ingredientibus, calce et acido, rurſus lapidem grauem compoſuit. Acidum obtentum, in aqua ſolutum, ferro, zinco aut ſtanno illitum, pulcrum colorem coeruleum exhibuit. Quod quidem cum acido molybdaenae commune habet, aliis vero multis differt; non enim volatile eſt, nec igne funditur, inter illud et phlogiſton vehemens intercedit attractio cet. p. 89.

II. SCHEELII obſeruatis *quaedam addit* TORBERN BERGMAN. Maximam partem eorum, quae SCHEELIVS dixit, confirmat. Facillime lapis gravis ab omnibus hactenus notis lapidibus diſtinguitur modo, qui ſequitur. Pulueri ſuperfunditur aqua fortis, vel acidum ſalis, deinde exponitur calori digeſtionis, puluis pulcro colore flauo albicante ornatur. Id vidit lapidi Bitſbergi contingere, et omnibus aliis etiam exteris, quos examinauit. Saepius huc pertinere ait, quod quidam *weiße Zinngraupen* p. 98.

pen appellant. Terram ſubacidam huius lapidis adfinem pronunciat illi terrae ſubacidae, quae ex molybdaena obtinetur, vtraque in ſtatu, qui proxime accedit ad arſenicum album. Metallo cuiuis eſſe proprium acidum, quod phlogiſti certae quantitati iunctum, in terram ſiccam coaguletur, ſaturatione metallum perfectum euadat. Terras illas ſubacidas, eſſe acida metallica phlogiſto in formam calcis metallicae redacta, cuius ſententiae rationes paullo vberius explicat.

p. 98. III. PETR. GVST. TERGMALN, Med. Cand. quaedam *de lanio collurione* edit. Auis in Suecia non infrequentis duos ſexus recte LINNEVS coniunxit, inique illam ob rem a BVFFONIO reprehenſus, qui duas ſpecies eſſe credidit: *la pie grièche rouſſe* et *l' ecorcheur*, quae non niſi ſexu differunt. Noſter obſeruauit, quo artificio nidos ſtruant, et quomodo pullos nutriant veſpis et crabronibus. Auiculam a lanione adulto captam ſemel tantum vidit, etſi attente eos obſeruauerit. Itaque perſuaſus fere eſt, non tam auibus veſci, quam inſectis.

p. 105. IIII. BENED. BJÖRNLUND, Med. D. Med. Provinc. refert, *de milite ictu globi laeſo et ſanato*. Quidam, ad ſcopum collimans, bombarda canaliculata, hominem globo minore transiecerat. Globus, vt hic narratur, intrauerat in latere ſiniſtro, digito tranſuerſo a ſpina dorſi, et vltima vertebra dorſi, tranſuerſim per corpus actus, emerſerat ad latus dextrum, inter ſecundam et tertiam coſtarum ſpuriarum in parte anteriore, circiter quatuor digitos tranſuerſos, ab initio coſtarum, ibi tactu ſub cute latere agnoſcebatur. Laeſus ſtatim domum ſuam portabatur, triginta vlnis diſtantem. Nullo remedio labentibus 12 horis adhibito, nec venaeſectione, nec fomentatione, mercurii pauxillum datum, cui plebs eius loci vim ſingularem aduerſus laeſiones

nes internas et externas tribuit. Aduocatus Noſter, venam ſecuit, alia, quae conuenirent, exhibuit, deinde globum exſecuit, vulnus debite tractauit, laeſus conualuit.

V. OL. AB ACREL notat hunc caſum inter eos p. 107. eſſe, vbi exiguam mutationem viae, quam inſtrumentum laedens deſcribit, mors inſtantanea ſequatur, aut vulneris felix ſanatio, prouti nempe ſenſiliores quaedam partes, aut nobiliores, vel laedantur in tranſitu, vel laeſionem effugiant. Similia ſaepiſſime in pugnis contingere. Socias manus praebente Prof. Anat. TINGSTADIO, vulnus, quale in caſu enarrato eſſe debuerit, in cadauere examinauit, gladio per cadauer acto. Introitum negat digito tranſuerſo a ſpina dorſi eſſe potuiſſe, tunc enim et ipſam vertebram et canalem medullarem laeſiſſe globum, igitur introitum tribus digitis transverſis remouet, et iam, quomodo penetrare corpus potuerit globus, deſcribit.

VI. PETRVS IOANNES BLADH plurima p. 109. experimenta inſtituit ad *examinandam ſalſedinem et grauitatem ſpecificam aquae marinae.* Vſus eſt inſtrumento, quo aqua ex data profunditate hauritur, et examine ſubtiliore hydroſtatico, notato ſimul gradu caloris. Videtur autem ſibi haec col- p. 125. ligere poſſe ex experimentis ſuis. In oceano ad profunditatem 50 hexapodarum, calorem inferioris et ſuperioris aquae, nullo, quod conſtans ſit, diſcrimine differre, niſi quod aqua ſuperficiei proxima interdum a ſole paulo magis caleat, aut a vento frigidiore paulo minus. Neque vſque ad eam profunditatem, ſpecificam grauitatem inferioris et ſuperioris notabili quadam quantitate differre, itaque, ſi, quod vulgo ſumitur, ſpecificae grauitatis differentia inprimis a ſale naſcatur, ſalſedinis diſcrimen, quod notari poſſit inter inferiorem aquam et

ſuperiorem, nullum eſſe. Continere vero aquam, inferiore loco hauſtam, plus aëris fixi, et, forte alia ex cauſa, minus nauſeoſam eſſe ſuperiore, vnde fieri poſſit, vt ſalſedo eius, etſi non maior ſalſedine aquae ſuperioris, linguam tamen magis feriat et ſaporem fortius afficiat.

p. 127. VII. OLAVS ACREL *de hydrocele cauſticis ſananda, addit* quaedam iis, quae GAHN edidit in Act. 1778. Experientia fultus vſum cauſtici, quod *Elſen* docuit, reliquis methodis omnibus praefert. Quod aſſertum confirmat caſus aliquos enarrando, in quorum vno et altero, teſticuli et ſcroti deformati faciem depictam ſiſtit, et generalia quaedam

p. 140. colligit, vt: Si plures adſint aquae collectiones, tum in tunica vaginali tum extra eam, inter ſe non communicantes, ſingulis applicandum eſſe cauſticum: Hydrocelen non ſemper notandam eſſe, ſed interdum polyedram, in plures cellas diuiſam, ſanari vero poſſe cauſtico vni collectionum ſuperiorum applicato. Si tumor firmior ſit, et minus pelluceat, tunicas, quae ſanae vaginalem cum celluloſa communi conſtituunt, aqua inſorpta penetrari, collectiones aquae in cauo nullas eſſe. Effectum cauſtici interdum protrahi, magis quam *Elſen* promittat, ſed tamen, niſi inopinati quid accidat, aegrum 7; 8; aut nouem ſeptimanis ſanari. Si iuſto tardius contingat contractio ſacci aquam continentis, tenſio teſticuli, et materiae reſolutio, quauis veſpera praebet vel duo grana calomeli, quo effectus acceleratur. Quo maior eſt hydrocele et magis tenſa, eo citius et facilius ſanatur; minoris integumenta exteriora denſiora ſunt, quae difficilius penetrat cauſticum, et plus patitur aeger, quod decumbendum ipſi eſt, quam ab ipſo remedio. Saepius vero obſeruauit Noſter, aegros, poſtquam conſederant aut ambulauerant, peius ſe habere, itaque ſuaſit, vt decumberent.

VIII.

VIII. IO. CAR. WILCKE *de caloris vi expanſiua et diſtributione.* Notum eſt phaenomenon, antliam pneumaticam adhibentibus, campanam poſt primam exantlationem vaporibus repletam videri. Id cum ab aliis aliter explicetur, circumſtantiis curioſe variatis repetiit, quae quidem huc transferri non poſſunt. Animaduertit vero non contingere, niſi humidi quidpiam ſit ſub campana. Simul thermometro ſub campana collocato, mercurium in eo deſcendere. His igitur phaenomenis confirmari ait, ignem ſ. calorem eſſe materiam tenuem, vi ſe expandendi praeditam, cuius partes ſe mutuo repellant, ab aliorum vero corporum materiis diuerſimode attrahantur, qua de re ipſe egit in diſſ. 7. trimeſtris I. magis ab aëre, minus a liquore aliquo, adhuc minus a vitro, minime a mercurio, quem thermometri cauum continet; ita calorem abire ex his materiis in aërem ſub campana rariorem, et vapores ex humidis ſecum abripere. Generatim, in ipſa atmoſphaera, vapores ab igne vel calore in ſublime rapi cogitat, et hinc meteora eo pertinentia, illorumque nexum cum barometri mutationibus explicare conatur, quae quidem mutationes magis a ſtatu caloris in atmoſphaera pendeant, quam a vaporibus aqueis, qui concomitans phaenomenon ſint, non ipſum effectum producant. Sed de his plura ſperat nos cognoſcituros, natura et mechanica caloris melius intellecta. p. 143. p. 158. p. 160. p. 162.

IX. SAMVEL ÖDMAN agit de *Cancro pulice.* Diffi- p. 163.
cilius eum diſtingui a Cancro locuſta, niſi ſumatur, C. locuſtae eſſe 7 paria pedum non connumeratis duobus paribus exiguorum in extremo animali, ſub cauda ſitorum. Eum, de quo acturus, ſumit eſſe C. pulicem Syſt. Nat. n. 81. Deſcriptionem vero addit, quam cum C. Locuſta conferat, qui hunc Cancrum

crum poſſidet. Inprimis narrat vitam animalis in inſulis et ſcopulis *Wermdö* dictis. Ibi quamprimum glacies oritur menſe decembri, myriades horum cancrorum ad litora adſcendunt, habitant vero in aqua parum profunda et fundo argilloſo. Femellae ouarium continetur ſquamis, prima quinque ſegmenta ad latera munientibus. Habet autem animal ſegmenta corporis 13, capite excepto. Oua 12 ad 20. Retia piſcatorum deſtruit cancer, muniunt illa pigmento ex decocto corticis alni aut quercus cet. Anatibus domeſticis gratum pabulum eſt hic cancer, vnde valde pingueſcunt, item percae cernuae. Vnde colligit Noſter, auibus nutriendis hos cancros deſtinari.

p. 168. X. CAR. PET. THVNBERG deſcribit duas, quas in *capite bonae ſpei detexit*, ſpecies inſecti, quod a FOTHERGILLO acceptum, LINNEVS in diſputatione 1775, nomine generico *Pauſus* inſigniuit, eiuſque ſpeciem vnicam tunc notam deſcripſit. Noſter, cum duas addat, tres quae adeo iam habentur, ſpecies his nominibus inſignit: 1) *P. microcephalus* totus niger, 2) *P. ruber* totus rubeſcens, 3) *P. lineatus* rubeſcens linea elytrorum fuſca. Vltimarum duarum nouarum ſpecierum figurae adduntur.

p. 171. XI. CLAVD. BJERKANDER deſcribit *laruam auenae infeſtam*, quam Iunio 1780 primum detexit, culmos arrodit, primum internodia inferiora, deinde ſuperiora, incertum, an idem individuum, an alia forte eadem aeſtate ortae muſcae, in quam larua abit, progenies. *Muſca* haec *auenae* ſimilis eſt *Muſcae Frit.* Paniculae hordei ab hoc animali laeſi, tabefactae palleſcunt.

p. 172. XII. IDEM *cremorem lactis* autumnali tempore aëri libero expoſuit, in quo cum *laruas* animaduertiſſet, nutriit illas, donec abirent in *muſcam vomitoriam*. Tegendum igitur eſſe lac aeſtate, ne, qui illo vtuntur, oua muſcarum ſimul hauriant.

Trimeſtre

Trimeſtre tertium.

I. HENR. NICANDER ex documentis ſaeculi ſu- p. 178.
perioris in Archiuo regni ſeruatis varia excerpit, ad aëris, et quatuor anni tempeſtatum conditiones pertinentia, quae ibi referuntur, item quae meſſes fuerint cet. Obſeruationes obiter et ſummarie ſaltim relatae, vt expectandum eſt ab illis temporibus, pertinent ad annos 1617–1639.

II. PETR. IAC. HJELM conatus recenſet, inue- p. 184.
ſtigandi *materias conſtitutiuas carbonum* et *lithanthracum*. Primum enarrat, quomodo lithanthraces p. 185.
anglicos tractauerit, ad obtinendos ex iis carbones, quos Angli *Sinders*, et *Coaks* vocant, et fundendis metallis adhibent. E lithanthracibus, cucurbitae inditis, vi ignis, primo acidum aëreum expulit, deinde fumum album inflammabilem, qui aquae purae, quae in recipiente erat, olei fuſci ad modum innatabat. Ita ſupererant in cucurbita, quorum anglica nomina diximus, partes 73 ½ ex 100 lithanthracum, vt ex dato lithanthracum pondere triplo plures carbones obtineantur, quam lignei carbones ex aequali ligni pondere. Iam variis modis examinauit carbones ex lignis quercus, betulae, pini, abietis, ipſam etiam plumbaginem, examinatam SCHELIO in actis 1779; quae ad carbones minerales pertinet. Ligneis carbonibus quod phlogiſton p. 187.
ineſt, quam rationem teneat, credidit inueſtigari poſſe, ſingularum ſpecierum detonatione cum nitro inſtituta, quod magis alcaleſcat a carbone plus phlogiſti continente. Ita medium ſumendo ex pluri- p. 188.
bus experimentis reperit 100 partes nitri, a partibus 35 carb. quercus, 22 betulae, 29 pinus, 33 abietis, 19 *Coaks*. Fatetur vero, hanc phlogiſti quantitatem in carbonibus eiusdem ſpeciei non ſemper eandem eſſe; Deinde multam operam collocauit, in p. 190.
aëris elaſtici, quae detonatione exeunt, ſpeciebus colli-

colligendis, cognoſcendis, menſurandis, ſed haec experimenta non potuerint inſtitui, niſi adhibendo exiguas quantitates, 2 vel 3 aſſes pulueris carbonum iniiciendos 15–20 aſſibus nitri (continet autem vncia aſſes 553, vt monuit KAESTNERVS in additamento verſionis ſuae actor. anni 1756. p. 305, et tales aſſes intelligere Cl^um HJELM ex numeris aliorum experimentorum, quae in progreſſu diſſertationis ſuae recenſet, confirmatur) maiora quanta, vaſa rumpunt. Igitur parum tuti ad menſuras inpri-
p. 195. mis faciens hinc colligi potuit. Id tamen reperit: Lithanthracum in carbones redactorum (*Coaks*) aſſes 100, praebere 267 digitos geometricos cubicos aëris, cuius circiter 60 ſe habent, vt acidum aëreum, reliqui vt atmoſphaericus aër, aut corruptus. Eſſe vero quod ex lithanthracibus ita praeparatis oritur, ter aut quater minus elaſticum aëris ſpeciebus, quae ex carbonibus ligneis exeunt. In his experimentis non omne aëris ex carbone producitur, cum magna pars etiam ſit acidi nitri. Id acidum, phlogiſto ſaturatum, ignis fit deſtruens, minore phlogiſti quantitate, fumi albi ſpecie appareret, ſi adhuc minus phlogiſti adſit, aëris ſpecie oculos non ferit, reliquas vero acidi proprietates ſuas retinet, et hoc ſtatu maxime elaſticum noſtro iudicatur. Igitur ſi carbo tam parum phlogiſti continet, vt maxima pars acidi nitri abeat in illam aëris maxime elaſtici ſpeciem, de qua dictum eſt, exploſio, ex noſtri quidem ſententia, vehementiſſima fit, debiliſſima, ſi acido nitri tantum phlogiſti offeratur, vt in ignem abeat. His pro parte ſaltim ait explicari, cur vehementiſſime detonent carbones quercus, leniter lithanthracum. Similibus ratiociniis quodammodo intelligi, cur pulueri pyrio parando alii carbones aliis aptiores ſint. Haec autem,

et multa alia, quae adducit, pluribus experimentis maiori in luce poterunt collocari.

III. DAV. LVDOV. MEIJER GERHARDSON me- p. 202.
thodum explicat *puluerem pyrium ope vaporis aquei ſiccandi.* Aheno immiſſa aqua, ad ebullitionem calefit: Vapor per canalem ducitur, lamina cuprea tectum, ſupra quam puluis pyrius ſpargitur, a calore vaporis, nullo ab igne periculo ſiccandus. Hunc modum Auctor in Anglia ſuaſit, et experimento vtilem oſtendit. Igitur ſtructuram illi idoneam et enchireſes omnes fuſe deſcribit, additis variis ad id negotium pertinentibus.

IIII. De *Vria Grylle* agit SAM. OEDMANN. Amplum p. 225.
Colymborum genus Linneanum recte a BRISSONIO in tria diuidi, et hanc, de qua acturus eſt, auem, ab eo, et BRUNNICHIO ad Vrias referri, quae quomodo a Colymbis differant ex dictis auctoribus adducit. Multa vero circa hanc auem nondum expedita eſſe, mutationes, ab aetate natas, pro ſpeciebus haberi. Ipſius iudicio *Vriae*, Troile, et Grylle, reliquarum ſtirpes ſunt. BRUNNICHI *V. Grylloides*, n. 114; *Balthica* n. 115; item BRISSONII *V. ſtriata*, n. 4. non niſi pulli ſunt *V. Grylle.* Roſtrum nunquam ſanguineum eſt, ſemper nigrum. Auis quinto demum anno creſcere deſinit. Tunc vndique nigra p. 229.
eſt, ſplendore variante, in viridem colorem inclinante; quaeuis ala ornatur macula nata a quatuor ſtratis tectricum, remiges 30 nigrae, lateris interioris dimidio albo. Alarum tectrices inferiores albae. Pedum rubor cinnabarinus, vngulae nigrae, acutae, curuae, excauatae. Colorum ob ſexum nulla diuerſitas, aetate vſque ad illam, quae diximus, mutantur. Nutriunt pullos vſque ad Auguſti finem, deinde aetate prouectiores omnes mare petunt, iuuenes ad litora remanent, donec a glacie abigantur. Inde natus error ſubito colorem mutare, cum iuuenes

pro

pro adultis habitae ſunt. Varia addit, quae ipſe obſeruauit ad mare Balthicum, conſentanea illis, quae in locis magis borealibus obſeruata ſunt.

p. 235. V. ARVID FAXE experimento probat, quantum profit *acidum vitrioli ad aquam in nauibus conſeruandam*. Vaſis aquam continentibus immiſſum eſt acidum vitrioli, aliis quidem tenue, aliis concentratum. Illud parum profuit; aqua enim ſaporem et odorem inamoenum contraxit. Sed vaſi, menſuras (*Kannen*) 72 continenti, immiſſae duae vnciae acidi concentrati aquam in itinere maritimo 16 menſium, inde a Suecia Hiſpaniam et Italiam verſus, ita ſeruarunt, vt poſt reditum adhuc incorrupta reperta ſit. Vncia acidi concentrati guttas 594 vel 600 praebet, aquae vncia guttas 344; menſura vero aquae ponderat vncias 80. Ita computat Noſter, guttis aquae 27520 (= 344·80) miſceri circiter guttas acidi 16; (accuratius 16⅛); ſed praeter id, quod vtile eſſe poſſit ſciri, 16 guttulas inſtillandas eſſe menſurae aquae, nihil prodeſt numeros guttularum comparare, cum ſine dubio aquae guttulae, nec pondere, nec volumine, aequales futurae ſint guttulis acidi. Simplicius eſt et vtilius, ex eo, quod vncia acidi concentrati ſufficiat ſeruandis menſuris aquae 36, et adeo vnciis 2880 colligere, tot partibus aquae conſeruandis vnam acidi ſufficere.

p. 240. VI. CAR. PETR. THVNBERG deſcribit et depingit *noctuam ſerici Iaponicam*. Allata ipſi eſt phalaena ab interpretibus, quibus Batavi ad Iaponiam appellentes vtuntur, qui interpretes omnes adſeruerunt, eam eſſe, cuius larua, dum metamorphoſin ſubit, ſericum Iaponenſibus praebeat. Ad noctuas pertinet, non ad bombyces. Ipſam erucam, et modum, quo ſericum tractaret, videre non potuit, cum populi illi, vt notum eſt, Europaeis aditum ad

ad interiora regni non permittant. Texturas ex ferico efficiunt, tenuiſſimas, leuiſſimas, ſimul denſiſſimas, quas vix aqua penetret, elegantiſſimas, ſed quae ſingulae vix vlnae dimidiae latitudinem habeant, eam ob cauſſam non emuntur a Bataui, quod Europaeis veſtiendis non aptae ſint. p. 243.

VII. *Bulbocerus*, nouum genus coleopterorum, deſcribitur ab ERICO ACHARIO. Primum LINNEI merita in ordinandis inſectis laudat, ſed illis adiicienda, quae recentiores praeſtiterunt, inprimis FABRICIVS, cuius terminis artis vtendum, quod plures partes primo accurate obſeruauerit et deſcripſerit. Coleopterorum ſectiones cum GEOFFROY et DE GEER a numeris articulorum tarſi ſumendos, quibus ſaepius diſtinguantur genera, ceterum characteres plurimos communes habentia. Bulbocerus ad illam coleopterorum ſectionem pertinet, quae, quod ſingulis tarſis articuli 5 ſint, pentadactyla appellantur; ſunt vero ipſi antennae clauatae centraliter fiſſili, (perfoliata). Species, quam deſcribit, Noſtro *Cephalotes* appellatur, quod nomen ipſi dedit, qui primus reperit PALLAS. *Apteri* nomen, quo alii vſi ſunt, inutile fieret, ſi plures ſpecies reperirentur, quibus etiam conueniret. Vberius deſcribuntur, et delineata ſiſtuntur exemplaria a LAXMANNO Petropoli miſſa. p. 244. p. 247.

Trimeſtre quartum.

I. IO. FISCHERSTRÖM obſeruata varia edit, *de turfa bitumine ſaturata*, quibus locis in Suecia reperiatur, quomodo fodiatur, praeparetur, et ad vſum adhibeatur. Multa hic, ait, in melius mutari poſſe et exterorum exempla ciuibus ſuis proponit. p. 255.

II. *De turfa ferro malleando adhibenda* agit SVEN RINMAN. Turfa eo fine in carbones mutanda eſt. p. 279.

p. 282. III. ADOLPHVS MURRAY *ſingularem poſitum et diuiſionem venae cauae ſuperioris deſcribit et figuris illuſtrat*, deſcriptioni intelligendae neceſſarias ſine quibus vix perſpicue dici ea de re poteſt. Valde ſimilem fatetur obſeruationem ſuam ei, quam deſcripſit PH. AD. BOEHMER in Faſc. 1. Obſ. anat. et in diſſert. de confluxu trium cauarum.

p. 296. IIII. DAN. LVDOV. MEIJER abſoluit, quae *de puluere pyrio vapore calentis aquae ſiccando* dicenda habet. Non ſolum tutius multo, ſed et melius hoc modo puluerem ſiccari, ex quo maior vis aquae expellatur, ipſas impenſas multo minores eſſe. Eadem methodo rubia tinctorum ſiccata eſt, item polenta toſta; maiora etiam atria tubis, quos pertranſeat vapor, calefiunt, id pannis ſiccandis adhibitum eſt.

p. 311. V. CAR. BLOM deſcribit *entero-epiplo-omphalocelen*, quocum infans in lucem edita eſt. Mater quarto geſtationis menſe, prona in terram cecidit. Infans iuſto tempore vitae ſigna edidit, et facili partu prodiit, debilior, aliquot poſt partum horis validior viſa, tumore quodam ſuper ventrem prominente, cuius quaedam loca paullatim nigreſcere coeperunt, altera, qua prodiit, die puella conuulſionibus extincta interiit. Aperire cadauer non permiſerunt parentes, itaque externam ſaltim herniae faciem deſcribit et depingit Noſter. Tumor (quem viuo infante, prout reſpirabat, adſcendiſſe et deſcendiſſe referebatur) efficiebatur ipſo peri-

p. 313. tonaeo, ſuper ventrem dimidii ſphaeroidis oblongi forma prominente, quod inde a duobus digitis tranſuerſis ſupra os pubis vſque ad ſcrobiculum cordis extendebatur, altitudine 2 ½ digitorum, perimetro 10 cum linea dimidia, veſicae vitulinae inflatae facie, depreſſus in ventrem rurſus exiens, annulo verrucoſo latitudinis duarum linearum circumdatus

cundatus et cuti ac muſculis abdominis adhaerens, inter illum annulum et funiculum umbilicalem tria vaſa ſanguine nigro coagulato turgentia. Dum animum reddebat infans pars ilei, per rupturam peritonaei exiit. Quod nudum apparebat peritonaeum, ſingulare hic eſſe monet, cum in hernis ſimilibus, quae poſt natiuitatem contingunt, cute tectum ſit.

VI. OL. AB ACREL praecedentibus quaedam addit: ortam ſine dubio herniam embryone lapſu matris percuſſo, eſſe tamen hic aliquid monſtroſi, vt, peritonaeum nudum ſine inuolucris; nam alias, cum frequenter naſcantur infantes cum hernis, nullam partium, quae ad corpus pertinent, deeſſe. p. 314.

VII. DAN. HENR. SÖDERBERG, M. D. *infantem* deſcribit, *cui deerant oſſa ſyncipitis, et magna pars oſſis frontis;* vnum alterumque diem vixit. Dum reſpiraret, cerebrum alternis vicibus attolli et deprimi viſum eſt. Mater obſtetricem accuſauit, oſſa ab illa comminuta eſſe. Sed cum natura factum eſſet, quod obſeruabatur, laudauit potius medicus obſtetricem, quod partibus mollibus adeo parum munitis vim nullam intulerit in partu ceteroquin facili et ordinario. Academia hunc caſum, cui ſimiles noti ſunt, inprimis ad obſtetrices excuſandas, ſi tale quidpiam rurſus contingat, edit. p. 317.

VIII. IO. CAR. WILCKE agit *de natandi ſubſidiis*. Scriptum iam anno 1770 Academiae obtulit. Inprimis examinat quod HALLONQUIST propoſuit, *ſcirpi* faſciculos colligatos ſiccos inſerendos veſti, inter illum panum, qui exterius comparet, et ſubditicium. Sicci vero ſcirpi grauitatem ſpecificam reperit = 0, 148; aquae grauitate poſita = 1; aquae aliquo tempore immerſi, vbi aërem emiſit = 0, 157, compreſſum, vt aër expellatur, adhuc maiorem 0, 296; 0, 348; 0, 451; ita ſem- p. 319. p. 322. p. 325.

per ſatis leuis manet, vt ſcopo inſeruiat. Inſer-
dus veſtibus eſt paulo ſupra femora, quo fit, vt fa-
cilius erectum hominem in aqua ſuſtineat. Qua
ipſi ſaepius madefacto et ſiccato contingere poſſit,
p. 321. nondum examinauit. NORBERG ſuaſit puluinos
farcire pennis auium aquaticarum, quae aquam re-
pellunt, etiam puluinari madefacto; eaſdem veſti-
bus interiiciendas BRATT ſuaſit. Alius corticibus
arborum diſſectis vti voluit.

p. 328. VIIII. *Stannum natura ſulphuri mixtum* deſcri-
bit TORB. BERGMANN. Accepit inter alia mine-
lia Ruſſica, effoſſum in Sibiriae loco Nerchinſki.
Qui miſit, pro antimonio habuit. Adeo autem ſimi-
le erat auro quod dicunt Moſaico, vt primo pro
artefacto habuerit. Minera cruſta circumdata erat,
nucleum metallicum, fibroſum, albide ſplenden-
tem tegente. Cruſtae particulae igni ante tubum
ferruminatorium (*löthröhrthen*) expoſitae, flamma
coerulea deflagrabant, odore ſulphuris, reſiduum
calcinatum abibat in puluerem albidum, nullam ad
fuſionem propenſionem oſtendentem, addito au-
tem ſale microcoſmico fundebatur, ſed non niſi igne
vehemente, globulus vitreus obtectus lactis colore
erat, pauculas maculas rubras oſtendens, poterat
vero, variato ignis gradu, colores hi aboleri et re-
vocari. Ita ſulphur ex odore colligit, ſtannum ex
lacteo colore, cupri pauxillum ex maculis rubris.
Quae vt confirmaret, ſtanni praecipitatum eodem
modo tractauit et ſimilia obſeruauit. Eadem vi-
dit in nucleo, niſi quod hic ſulphur odore prodeat,
non flamma. Itaque ſulphur alia copia in nucleo
admixtum erat, alia in cortice. Nimis parum ri-
rioris huius mineralis poſſidebat ad tentamina ma-
iora inſtituenda. Obiter refert, examinaſſe ſe pul-
verem illum, qui ad inducendum frictione metalli-
cum colorem (*bronziren*) ſtatuis ex gypſo factis

adhi-

adhibetur, aurum musiuum esse cupro praecipitato mixtum, adserunt libri eius compositionem describentes. BERGMAN tamen in illo nihil sulphuris aut stanni detegere potuit, non nisi cuprum et plumbum.

X. NIC. SCHENMARK *eclipsin solis* 17 Oct. 1781, p. 333. obseruauit Londini Scanorum.

XI. EAMDEM Scarae obseruatam ANDR. FALK p. 334. describit.

II.

CAROLI PETRI THVNBERG, *Med. Doct. Prof. Reg. et extraord. Academ. Caes. N. C. Reg. scient. Holmens. Societ. litter. Vpsal. Patriot. Holmens. Berolin. N. Scrut. Lundin. Harlemens. Amsteldam. Nidros. Membri*, Flora Iaponica, sistens plantas insularum Iaponicarum secundum systema sexuale emendatum redactas ad XX classes, ordines, genera et species cum differentiis specificis, synonymis paucis, descriptionibus concinnis et XXXIX iconibus adiectis. Lipsiae, in bibliopolio I. G. Mülleriano. 1784. 1 Alph. plagg. 6½. forma octaua.

Etsi non paucis abhinc annis tanta Florarum copia in publicum prodiit, vt merito de earum vtilitate dubitarent botanici, easque negligerent, negarentque botanicam illis ipsis multum augmenti cepisse, tamen vtilitas illarum in vniuersum ipsis detrahi nequit, praesertim si in iis nouae plantae describuntur, vel aliarum, minus recte vel obscure descriptarum, certiores plantarumque naturam egregie illustrantes adumbrationes atque obseruationes traduntur, errores circa easdem commissi corriguntur,

riguntur, vel noui, aut parum cogniti cuiusdam regni plantae et indigenae et cultae recenſentur, ceteris characteribus iuxta ordinem ſyſtematicum definiuntur, et omnia, quae de proprietatibus et vſu earum obſeruari poterunt, cognita redduntur. Tunc enim ex illis tamquam ex primo et purissimo fonte omnis botanica certitudo, atque ſyſtematum firmitas eſt hauriendа. Quae cum ita ſint, *Flora Iaponica* profecto libris botanicis optimis nouiſque incrementis locupletiſſimis annumeranda eſt: eidem enim, ſi vui, certe omnes commemoratae laudes ſunt tribuendae. Atque ita Clariſſimus THVNBERG ſatis fecit officio floriſtae, vt iterum in Eo habeant, quem ſequantur et imitentur peregrinatores et botanici, mirandumque ſit, Cl^us Auctorem tantum perfeciſſe in regno fere inacceſſo, atque Iapponenſium ſuſpicaci et inuida erga Europaeos cogitandi ratione munito quaſi, et muris cincto. Recte itaque Cl^us PAGRARVS in litteris ſalutatoriis, libro praemiſſis, facta opuſculorum Thunbergianorum recenſione, ſcribit: *Prodit nunc Flora Iaponica* THVNBERGII *Botanicorum deſiderio digna; continet haec plantarum ſpecies fere mille, interque has vltra* 800 *determinatas, dum reliquas anni tempus determinare vetuerit; mirabitur poſteritas induſtriam, dum nouerit, medicum legationis, intra XVI menſes, in territorio Europaeis inacceſſo, genera plantarum vltra* 20, *ſpecies vltra* 300 *nouas detexiſſe et deſcripſiſſe; aperuit* KAEMPFERVS *olim,* THVNBERGIO *ſoli contigit hanc adire Corinthum. Gratulor, inquit, Botanicis, gratulor* PAGRARIO *de operis illis exoptatiſſimo,* TIBI *non coaeuo, ſed ſuperſtiti, et, vt meretur, immortali. Si netinet Botanica nomen illum nomine memoriam ſui cultorum, neſcio, pergit, quiſquam* TE *dignior tali memoria, nunquam intermoritura! Virebit igitur* Thunbergia *poſt fata* TVA;

florebit

florebit quotannis memor TVORVM *in plantis amorum.*„ Hactenus FAGRAEVS, cuius quidem iudicio nos vbique adsentimur.

Quum igitur tanta nouorum botanicorum huic libro insit vbertas, impedimur ea ipsa, quo minus omnium epitomen tradamus: quod etiam superfluum fore putamus, cum vix vnus botanicorum futurus sit, qui ipsum librum non legat relegatque, fructusque vberrimos ex eodem capiat. Rationem potius, qua vsus est Cl. Auctor in conscribenda hac flora, et nonnulla, exempli loco, indicemus.

In praefatione lectu dignissima, *situs et clima regni laponici* definitur, *occasio adeundi Laponiam ibique colligendi plantas* indicatur, tum rationes *systematis* traduntur, *auctores, qui de plantis laponicis scripserunt*, enumerantur, *nominum botanicorum et laponicorum* leges et significatio recensentur, et denique plantarum vtilium et cultarum catalogus summatim repetitur. Praefat. p. XI.

De singulis quaedam. Lapponia paucos campos, colles vero et montes plurimos, saepe altissimos habet: calor aestiuus magnus, ad gradum 100 thermometri Fahrenheitiani, vix tolerandus foret, nisi a ventis mitigatus: frigus hiemale ad plures gradus infra punctum congelationis valde intensum est. Ipsum solum vt plurimum argillosum, quandoque magis sabulosum, minus per se, quam per indefessos incolarum labores, fertile.

Ill. RVDMANNO occasionem adeundi Lapponiam acceptam refert: huius enim commendatione factum est, vt nomine et sumtibus Ill. VRY. TEMMINK, VAN DER FOLL, VAN DER DEUTZ et DAVID TEN HOVEN in Lapponiam iter instituere posset. p. XII.

Postquam igitur in capite bonae spei

per triennium verſatus fuit, anno 1775 in Iauam atque inde eodem anno in Iaponiam delatus eſt. Hiç autem ſummas difficultates in eo, quod nulli Europaeo ſine venia et cuſtodum turba Inſulam intrare permiſſum eſt, ſibi ad colligendas plantas paratas inuenit: quas tamen donis, officiis ſponte praeſtitis, curationibus medicis feliciter inſtitutis aliisque modis ita vicit, vt tandem a Gubernatore vrbis libertatem nanciſceretur, plantas, nonnullis ſtipatus ducibus, colligendi. Sumtuoſa tamen maxime Auctori euenit quaeuis excurſio: cibus enim et potus comitibus, viginti aut triginta hominum numerum conſtituentibus, praebendus, 16 ad 18 conſtabat thaleris imperialibus, vt pauca vegetabilia et ſemina tanto exiſtimet comparata pretio, atque haec, quae in collibus magno labore pluribusque incommodis collegit. Alias plantas ex pabulo, quod pecudi alendo Batavi contulerunt, delegit, atque ita plura rara detexit vegetabilia. Medici Iaponici KAFRAGAWA YOSIU et NAKAGAWA SUNNAN cum auctore naturalia Japonica communicarunt, eidemque nomina Iaponica indicarunt.

p. XIX. Syſtema Linneanum quidem in plurimis ſecutus eſt; aliquot tamen claſſes, *Gynandriam*, *Monoeciam*, *Dioeciam* et *Polygamiam*, tanquam inutiles, incertas et ſpurias excluſit, earumque plantas aliis claſſibus, ad quas, ipſa monſtrante viam natura, pertinent, inſeruit. In tota enim Gynandria vix aliae, quam Orchideae gynandrae ſunt, ſi vel illae ita appellari mereantur, quae adeo piſtilli partes habent confuſas, vt de ſtylo et ſtigmate vix quidquam certi ſtatuendum. *Ariſtolochia* maiori iure Hexandriae, *Gunnera*, cuius filamenta germinis bidentati lateribus inſerta ſunt, Diandriae adſcribi debent. *Siſyrinchium* et *Ferraria* tria filamenta connata

nata gerunt in cylindrum, a ſtylo omnino ſeparata: pertinent igitur potius ad Triandriam vel Monadelphiam. *Salacia* et *Stilago* et *Nepenthe* ipſi germini vel filamenta vel antheras inſerunt. In *Ayenia* filamenta inſident nectario, in *Gluta* et *Paſſiflora* infixa ſunt potius nectario ſingulari (vel potius receptaculo elongato columnari): in *Kleinhovia* ſtamina ſunt intra nectarium. In *Piſtia* et *Zoſtera* filamenta ſpatio quodam remouentur a piſtillo. *Grewia* et *Xylopia* ſunt polyandriſtae. Piperitarum genera, *Arum*, *Dracontium*, *Calla* cet. ſtamina in receptaculo elongato gerunt vel ſeparata a ſtigmatibus, vel illis immixta, nunquam inſidentia; referenda igitur ſunt ad Polyandriam, easdem ob rationes, ac *Annona*, *Michelia Gnetum* et *Magnolia*.

Monoeciae et *Dioeciae* claſſes lubenter retinuiſ- p. XXI.
ſet, ſub nomine Dicliniae in vnam contractas, ni naturae repugnaſſet, et plurimae in examinandis vegetabilibus difficultates id impediuiſſent. *Cynomorium*, *Rhodiola*, *Myriophyllum verticillatum*, *Coriaria*, *Meniſpermum* ſaepe habent flores hermaphroditos, adeoque ad Polygamiam debuiſſent referri. E *Callitrichis* duabus ſpeciebus altera eſt monoica, altera hermaphrodita. *Ruſcus racemoſus* floribus hermaphroditis inſtruitur. Populus dioicos et monoicos flores gerit. *Spinacia oleracea* dioica, monoica et hermaphrodita ab Auctore viſa eſt. *Rhodiola* communiter dioica reperitur, profert tamen quoque flores hermaphroditos. Ex his aliisque patet, variare admodum flores monoicos et dioicos; praeterea etiam in multis floribus maſculinis etiam rudimentum adeſt piſtilli, vt in *Euclea*, *Hydrocharide*, *Iatropha* et aliis. Retentis igitur his claſſibus, plurimum oboritur confuſionis, nec vnquam quid certi erit in plantis polygamis, vel

quae variant floribus dioicis et monoicis. Nulla e contrario erit difficultas, ſi plantae flore maſculino amandantur ad claſſes hermaphroditicas, iuxta numerum ſtaminum, et ad ordinem, iuxta numerum ſtyli, in flore feminino, ſiue ſint praeterea monoicae, vel dioicae, vel polygamae.

p. XXII. *Polygamiae* claſſis, ſi vel praecedentes duae retineri poſſent, omnino abroganda eſt ex Cl. Auctoris mente. Non ſolum enim plures aliae plantae, vmbellatae, ſyngeneſiſtae, et aliae floribus inſtruuntur polygamis: ſed etiam in plurimis plantis, ad polygamiam relatis, illi flores, qui alterutrius tantum eſſe ſexus dicuntur, adſunt rudimenta ſtaminum et piſtilli. Claſſe Polygamiae retenta difficultas maxima occurrit circa omnium vegetabilium examen accurate inſtituendum. Planta hermaphrodita enim inuenta, tuto ea ad primas ſyſtematis claſſes referri nequit, ob metum, alibi creſcere poſſe plantam, floribus vel monoicis vel dioicis praeditam. Methodus igitur examinandi tutior et facilior redditur cum abolitione huius claſſis. Hermaphrodita enim planta ſtatim iuxta pluralitatem ſtaminum ad illam claſſem referri poteſt, cui plantae aliae eiusdem ſtaminum numeri adnumerantur: planta maſculina ex numero filamentorum ad claſſem refertur, et vt indagetur ordo, alter tantum indagandus eſt ſexus. Ita *Muſa* reuera eſt hexandra, filamenta enim antheniſera ſemper ſex cum piſtillo adſunt, licet quinque antherae ſteriles fuerint. In *Valantia*, *Veratro*, *Acere*, *Dioſpyro*, *Gouania*, *Begonia*, *Fraxino*, *Piſonia* ſemper adſunt piſtilla, quorum quaedam abortiunt, vt in *Pruno* caſu quandoque et plurimis aliis. In *Anthoſperma* individuis nunquam flores hermaphroditos, ſed ſemper dioicos reperit.

p. XXIV. Male ergo, pergit Cl. Auctor, in quatuor hiſce claſſi-

classibus superfluis separatae fuerunt *Centella*, *Solandra*, et *Mercurialis afra* ab *Hydrocotyle*, *Hermas*, *Bupleuro*, *Panax* et *Arctopus* ab umbellatis, *Atriplex* a *Chenopodio*, Gramina a Triandris, *Veratrum* a *Melanthio*, et quae sunt reliqua *Palmae* suis classibus inseruit.

Loci crescendi ea indicauit, vbi ipse plantas inuenit, etsi et alibi easdem nigere posse concedit: id quoque *florendi tempus* commemorauit, quo florentes herbas inuenit, licet et aliis mensibus florere possint. Fructus maturationem etiam obseruauit, dum licuit.

Synonyma Auctorum euitauit, neque praeter LINNEI species plantar. et KAEMPFERVM, alium quem citauit. Habent Iaponenses libros quosdam botanicos, quorum titulos recenset et contenta. p. XXV.

Nomina botanica Linneana retinuit; nouis plantis propria dedit nomina tam generica, quam trivialia, et quidem breuia. *Iaponica* nomina sunt vel a Sinensibus mutuata, quae in libris occurrunt, eaque doctis vsurpantur, vel sunt vulgaria et vere Iapponica. Subiungit Cl. Auctor rationes, iuxta quas Iapponenses nomina plantis tribuunt, atque studii plurimum in iis extricandis et declarandis adhibuit. p. XXVII.

Vsum plantarum vt indagaret, omnem dedit operam: estque is vel medicus, vel oeconomicus. Oeconomicae plantae sunt vel edules vel fructiferae, vel aliis in circumstantiis vtiles. p. XXXII.

His breuiter in praefatione expositis, sequitur systematicus catalogus omnium in flora hac descriptarum plantarum, nominibus genericis et trivialibus, sub titulo *Elorulae Iaponicae*. Hanc excipiunt *genera noua Iaponica*, genericis suis characteribus et naturalibus et essentialibus definita. Quae equidem sunt haec:

1) *Kyl-*

1) *Kyllinga*: amento ouato, imbricato, calyce corolla biglumibus.

2) *Orixa*: nou. gen. P. III. p. 56. vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 653.

3) *Ottheria*: vid. ibidem. p. 652.

4) *Skimmia*: vid. ibidem. p. 653.

5) *Aſtubda*: nou. gen. P. III. p. 61. vid. ibid.

6) *Nigrina*: nou. gen. P. III. p. 58. vid. ibid.

7) *Gonocarpus*: nou. gen. P. III. p. 55. vid. ibidem.

8) *Doraenna*: vid. ibid. p. 59. vid. ibidem.

9) *Weigela*: v. ib. I. p. 5. vid. ibid. p. 646.

10) *Bladhia*: v. ib. p. 6. vid. ib. p. 647.

11) *Hovenia*: vid. ib. p. 7. vid. ibid.

12) *Bumalda*: vid. ib. III. p. 62. vid. ibid. 653.

13) *Pollia*: vid. ib. I. p. 11. vid. ib. p. 647.

14) *Lindera*: vid. ib. III. p. 64. v. ib. p. 659.

15) *Nandina*: vid. ib. I. p. 14. vid. ib. p. 648.

16) *Dentzia*: vid. ib. I. p. 19. vid. ibid.

17) *Tomex*: vid. ib. III. p. 65. v. ib. p. 653.

18) *Apaſtia*: vid. ib. p. 66. vid. ibid.

19) *Eurya*: vid. ibid. p. 67. v. ib. p. 654.

20) *Cleyera*: vid. ib. p. 69. vid. ib.

21) *Dryandra*: vid. ib. p. 60. vid. ib. p. 653.

Quod iam ipſam Floram, ſpeciesque plantarum in ea recenſitarum attinet, reperiuntur ibi plures, quas communes cum Europa, America, et India orientali, praecipue boreali et imperio chinenſi Iaponia alit: europaeae plantae ſunt e. g. *Callitriche verna*, *Liguſtrum vulgare*, *Veronica anagallis*, *chamaedrys*, *arvenſis*; *Verbena officinalis*, *Fraxinus excelſa*, *Lemna minor*, *Salix alba*, *Seropias longifolia*, *Valeriana officinalis*; gramina plura. *Galium verum*, *uliginoſum*; *Betula alba*; *alnus*; et multae

alias

asiae. Exoticae americanae, indicae, et chinenses: Canna indica, Nyctanthes Sambac, Epidendrum monile, Moraea chinensis, Saccheri species, Phyllanthus Niruri, Azalea indica, Nicotiana Tabacum, Ceanothus asiaticus, Gardenia florida, Sambucus canadensis, et aliae multae, quae, si opus erat, egregiis obseruationibus, plantarum naturam et structuram illustrantibus, ab Auctore in viuis plantis institutis, comitatae ordine systematico enumerantur.

In nouis plantis, primum in Iaponia detectis et inuentis, describendis Cl. Auctoris diligentia magnis est laudibus celebranda, qua adeo perfectas earum dederit adumbrationes, vt botanici saltim imaginibus facile carere queant. Missis his, quas ex ipso libro cognoscere necesse est, nos characteres singulares quarundam decerpamus, et nonnullas vsu praecipue notabiles indicemus. Ad priores pertinent:

Osyris Iaponica foliis ouatis floriferis. Flores e neruo medio foliorum paginae superioris vmbellati, masculi et feminei distincti in distincta arbore. *Perianthium* 1phyllum tripartitum. *Corolla* nulla. *Filamenta* 3, calyce breuiora: *antherae* rotundae didymae. *Flores femineos* non vidit Cl. Auctor; forte nouum genus, quod detecta femina definiendum erit. Folia pro cibo praeparata edulia esse incolae narrabant. p. 31.

Andropogon cotuliferum, panicula patula villosa, arista tortili nuda, pedicellis incrassatis patheriformibus, singulare eo, quod omnes pedicelli apice concaui pro excipiendo flore. p. 41.

Azaleae indicae plures varietates pentandrae sunt; aliae, licet rarius, hexandrae et heptandrae inueniuntur. Aliis calyx valde villosus, aliis valde hirsutus. p. 84.

Sambuci canadensis et *nigrae* fructus in Iaponia non maturantur. p. 126.

Lythrum p. 192.

Salicaria iaponicum totum glabrum est. *Mespilus* p. 206.

Iaponi-

Iaponica, inermis, foliis oblongis, apice ferratis, subtus tomentosis, baccam habet subbiocularem a 5 spermam, quae itaque fere pomum esse videtur. Sapor fructus edulis acido-dulcis est fere pomi
p. 265. *Cupressus pendula*, foliis oppositis quatis, ramulis dichotomis pendulis, pulchra est arbor ramulis suis longissimis, dichotomis et dependentibus maxima copia, facillime ab omnibus aliis huius ordinis semper
p. 273. peruirentibus distinguitur. *Camellia Sasanqua* flores interdum connata in plures phalanges habet, similisque adeo est *Theae*, vt nihil fere, nisi stamina connata, eam distinguat. Ideoque etiam, et propter suauem foliorum in vmbra siccatorum odorem, Theae adduntur.

Eorum, quae de vsu plantarum commemorauit, nonnulla sunt haec: *Fagarae piperitae*, foliolis crenatis, cortex, folia et fructus aromatici, in insulis loco piperis saepe adhibentur. Folia trita et cum farina oryzae in pultem redacta partibus e rheumatismo dolentibus instar vesicatorii imponuntur,
p. 71. vti etiam bubonibus. *Vrticae niueae* vsus est duplex: 1. cortex pro funibus conficiendis et filis validis ad texturas expetitur. 2. e seminibus oleum
p. 72. causticum exprimitur. E cortice *Mori papyriferae* omnis conficitur charta iaponica, tam scriptoria quam crassior, rudior et tenuior, pro quouis alio vsu. Describit vberius Cl. Auctor methodum praeparandi, vsum chartae eiusque diuersitates. E farina seminum *Mirabilis Ialappae* conficiunt Iaponenses fucum album, quo faciem quandoque obducunt feminae. *Lycium Iaponicum* pro sepibus viuis hinc inde plantatur. *Lycium barbarum* inseruit 1) pro sepimentis areolarum iuxta domos, 2) eius folia in morbis quandoque adhibentur instar Theae; 3) aliquando fructus eiusdem vescendos praecipiunt medici. *Sium Ninsi* summum in

Iapo-

Iaponia creditur cordiale et cariſſime emitur e China boreali illuc allata radix. Verſante THVNBERGIO in Iaponia, libra vna ſelectae radicis Ninſi conſtabat 600 imperialibus. *Rhus vernix* ſelectiſſimam vernicem Iaponicam ſtillat, Chinenſi et Siamenſi multum praeſtantiorem, cuius parandae modum tradit Cl. Auctor. Oleum ſeminum expreſſum pro candelis inſeruit. Eundem vſum praeſtat *Rhus ſuccedaneum*, parcam tamen fundit vernicem, *Baſellae rubrae* baccae pro tingendis ſerico et goſſypio rubris Iaponenſibus inſeruiunt. *Conuallariae Iaponicae*, ſcapo nudo ancipiti, racemo cernuo, radices tuberoſae, ſaccharo conditae, aegris commendantur. Ex ligno *Linderae vmbellatae* conficiunt Iaponenſes penicillos molles pro purificandis dentibus. *Oryza* Iaponica omnium aliarum regionum praeſtat, ob albedinem, mollitiem et pinguedinem; cara tamen eſt et raro in Europam transuehitur. *Polygonum chinenſe* eſt planta coeruleo-tinctoria inſtar Indigo: folia ſiccata et contuſa in placentam redacta conſeruantur et venduntur pro tingendis tam ſerico, quam goſſypio. Eundem in finem etiam *Polygonum barbatum* et *auiculare* coluntur. *Polygoni multiflori* foliis cordatis, caule volubili angulato, florum panicula ramoſa, radix cordialis dicitur, eumque in finem a Iaponenſibus cruda adhibetur. E *Lauri Camphorae* baccis ſeuum exprimitur, quod pro candelis faciendis, loco cerae, adhibetur. Camphora omnis ex hac arbore ſublimatur: quod ruſtici perficiunt, qui tam radices, quam ligna trunci in feſtucas comminuta, cum aqua affuſa coquunt in veſica ferrea. Impoſito capitello fictili amplo et roſtrato ſublimatam reſinam excipiunt ſtramini, quod capitellum replebat, adhaerentem. Camphora haec in India et Europa ſublimatione purificatur. *Deutziae ſcabrae* folia

p. 121.
p. 122.
p. 127.
p. 139.
p. 146.
p. 148.
p. 167.
p. 169.
p. 172.
p. 185.

folia ſcabra pro laeuigandis et poliendis variis ligno confectis rebus, a fabris lignariis adhibentur.

p. 227. *Theae* foliorum collectio triplici vice peragitur. 1. menſe martio, dum folia tenella et vix integre explicata per duos vel tres dies fuerunt: haec pretioſiſſima ſunt et Theae Caeſareae vel florum Theae nomine veneunt. 2. aprili, dum folia explicata cum aliis ſemiexplicatis colliguntur. 3. vberrima collectio fit menſe maio, foliorum in tres claſſes dividendorum. Folia decerpta torrentur ſupra laminam ferream, et toſta, dum feruent, voluuntur volis manuum ſupra ſtoream, donec criſpa reddantur. Thea toſta et frigefacta recondenda et ab aëre caute munienda erit. Vim folia habent inebriandi et ſpiritus animales turbandi recentia, exhilarandi autem adultiora; obſtructiones viſcerum referant, ſanguinem defoecant et tartaream calculi materiam

p. 229. eluunt. *Cycas reuoluta* frondibus pinnatis, foliolis margine reuoluto, drupas fert, quae comeduntur: medulla autem caudicis ſupra modum nutriens inprimis magni aeſtimatur. *Illicii aniſati* vſus eſt quadruplex: 1) praeſentia eiusdem delectari Deos docent ſacerdotes Chinae et Iaponiae; 2) puluis corticis in altaribus ex vaſis aeneis gliſcens, pergrato ſuffitu idola reficere creditur; 3) ramulus eiusdem decoctioni piſcis *Tetraodontis hiſpidi* additus, venenum multis gradibus exaſperare creditur; 4) cortex in puluerem redactus excubitoribus ſeruit pro fomite, quo canaliculis cineri impreſſis inſperſo et ad certum ſpatium lenta ſcintillatione depaſto tempus diuidunt, et horas indicant.

p. 238. *Vuarine Iaponicae* caules decorticati aquae imponuntur, vt inde extrahatur mucilago, quae pro crinibus glabrandis et lubricandis a feminis iaponicis adhibetur: mucilago huius foliorum et caulium confectionem chartae iaponicae etiam ingreditur.

ingreditur. *Ocymi criſpi*, racemis terminalibus, foliis ouatis ſerratis criſpis, calycibus hiſpidis; decocto tingunt Iaponenſes radices Raphani, Rapae et fructus varios, colore ſaturate rubro. *Clerodendri trichotomi*, foliis lobatis indiuiſisque lato-ouatis integris, panicula trichotoma, odor foliorum viroſus. In ligno ramorum habitat larua inſecti, qui infantibus, vermibus ventriculi laborantibus, cum cereuiſia propinatur. *Taxi nuciferae* fructus locum inter acrodrya menſae ſecundae obtinet: dicitur ſanus eſſe, et, licet fauces adſtringat, aluum tamen laxare. Semina *Dolichos Sojae* quotidie in iuſculis adhibentur, et communiſſimum Iaponenſium ferculum, ſaepe ter de die, conſtituunt. *Pteridis aquilinae* frondes iuniores edules ſunt, etiam radix lignoſa, contuſa et cocta a pauperibus comeditur. *Polypodii dichotomi* cineres cum alumine pulueriſato adhibentur contra aphthas et excoriationes oris et alias.

p. 248.

p. 256.

p. 275.

p. 282.

p. 332.

Plantae nouae in tabulis delineatae ſunt ſequentes:

Tab. 1. *Liguſtrum Iaponicum*, foliis ouatis acuminatis, panicula decompoſite trichotoma. p. 17.

Tab. 2. *Olea fragrans*, foliis lanceolatis ſerratis, pedunculis lateralibus aggregatis vnifloris. p. 18.

Tab. 3. *Syringa ſuſpenſa*, foliis ouatis ſerratis ternatisque. p. 19.

Tab. 4. *Dianthera Iaponica*, pedunculo axillari ſolitario ſubquadrifloro, bracteis oblongis ciliatis. p. 21.

Tab. 5. *Saluia Iaponica*, foliis bipinnatis glabris. p. 22.

Tab. 6. *Valeriana villoſa*, floribus 4andris aequalibus, foliis inferioribus auriculatis, ſuperioribus dentatis, villoſis. p. 32.

p. 40. Tab. 7. *Andropogon trinitum*, ſpica ſolitaria hirſuta, ariſtis nudis geniculatis longiſſimis.

p. 45. Tab. 8. *Paſpalum villoſum*, ſpicis alternis ſecundis, rachi hirſuta, floribus duplici ordine alternis ſecundis.

p. 48. Tab. 9. *Panicum hordeiforme γ.*

p. 50. Tab. 10. *Poa barbata*, panicula patula capillari, ſpiculis 6floris oblongis, glumis glabris carinatis, geniculis barbatis.

p. 52. Tab. 11. *Bromus Iaponicus*, panicula patente ramoſa, ſpiculis oblongis glabris, ariſtis diuricatis.

p. 64. Tab. 12. 13. *Aukuba Iaponica.*

p. 66. Tab. 14. *Elaeagnus vmbellata*, inermis, foliis obouatis obtuſis, floribus axillaribus aggregatis, pedunculis flore breuioribus.

p. 69. Tab. 15. *Gonocarpus micranthus.*

p. 90. Tab. 16. *Weigela Iaponica.*

p. 93. Tab. 17. *Lycium Iaponicum*, inerme, foliis ouatis neruoſis planis, floribus ſeſſilibus.

p. 95. Tab. 18. *Bladhia Iaponica*, foliis ſerratis glabris.

p. 96. Tab. 19. *Bladhia villoſa*, foliis ſerratis villoſis.

p. 109. Tab. 20. *Gardenia radicans*, inermis, corollis obtuſis, calyce angulato, foliis ellipticis, caule radicante.

p. 145. Tab. 21. *Lindera vmbellata.*

p. 181. Tab. 22. *Andromeda Iaponica*, racemis paniculatis cylindricis bracteatis, foliis ellipticis reflexis, apice ſerratis.

p. 183. Tab. 23. *Dianthus Iaponicus*, floribus aggregatis faſciculatis, ſquamis calycinis acutis ciliatis tubo breuioribus.

p. 185. Tab. 24. *Deutzia ſcabra.*

p. 191. Tab. 25. *Eurya Iaponica.*

p. 234. Tab. 26. *Houttuynia cordata.*

p. 267. Tab. 27. *Dryandra cordata.*

Tab.

Tab. 28. 29. *Croton Iaponicum*, foliis indiuiſis trilobisque ouatis acuminatis integris glabris. p. 270.

Tab. 30. *Camellia Saſanqua*, foliis obtuſe ſerratis emarginatis. p. 273.

Tab. 31. *Hypericum Iaponicum*, floribus trigynis, foliis ſeſſilibus ouatis integris, caule herbaceo tetragono baſi decumbente. p. 295.

Tab. 32. *Osmunda ternata*, ſcapo caulino ſolitario, fronde tripartita ſupradecompoſita. p. 329.

Tab. 33. *Acroſtichum Lingua*, frondibus oblongis obtuſis integris petiolatis, ſurculo repente. p. 330.

Tab. 34. *Acroſtichum haſtatum*, fronde ſimplici haſtata. p. 331.

Tab. 35. *Blechnum Iaponicum*, fronde bipinnatifida: pinnulis ouatis obtuſis ſerratis. p. 333.

Tab. 36. *Polypodium falcatum*, frondibus pinnatis: pinnis cordatis falcatis acuminatis integris, fructificationibus approximatis ſparſis. p. 336.

Tab. 37. *Polypodium dichotomum*, frondibus dichotomis bipinnatis; pinnulis linearibus integris parallelis. p. 338.

Tab. 38. *Lycopodium ſerratum*, foliis quaternis lanceolatis ſerratis, floribus ſeſſilibus in axillis foliorum. p. 341.

Tab. 39. *Boletus dimidiatus*, ſtipitatus perennis, pileo dimidiato vndulato laeui, poris albis. p. 348.

Quasdam ſpecies Linneanas Cl. Auctor aliis generibus ſubmiſit. e. g.

Andropogon polydactylon	LIN. eſt Auctori	*Saccharum polydactylon.* p. 42.
Alopecurus hordeiformis	— —	*Panicum hordeiforme.* p. 46.
Veratrum luteum	— —	*Melanthium luteum*: flores p. 153.

res enim eius omnes fertiles; germen vnicum, non tria; petala integra, non ſerrata; capſula vna, nec tres.

p. 99. Praeterea *Celaſtro alato*, cuius flores non vidit, ob capſulam tamen 1locularem *Celaſtrum* dixit, ſubiungit: haec duo genera, *Euonymum* et *Celaſtrum*, valde affinia eſſe, vixque ſeparari debere.

p. 104. Idem de *Viti* et *Ciſſo* iudicat, quae idem genus, ſta-
p. 160. minibus 4 et 5 varians, eſſe ait. Sic quoque putat, *Daphnen* et *Paſſerinam* nimis affinia eſſe genera, vixque flore diſtinguenda, niſi ſtylo, qui in Paſſerinis filiformis et longitudine tubi corollae eſt, in Daphne autem breuiſſimus. Plura alia noua et ſcientiam botanicam egregie locupletantia lectori botanico-medico legenda commendamus.

p. 350. Quod reliquum eſt, addit Cl^us THVNBERG 104 plantas obſcuras, quarum genera per breue tempus, quo in Iaponia verſabatur, vel non certe ſatis, vel plane non definire potuit, breuibus tamen
p. 371. deſcriptionibus illuſtratas: nec non explicationem illarum plantarum Iaponicarum, quas in amoenitatum exoticarum faſciculo quinto recenſet KAEMPFERVS: ita, vt numerus plantarum obſcurarum ſ. incognitarum in Kaempferiano catalogo valde ſit diminutus. Index duplex, alter generum, alter nominum Iaponicorum, denique ſubnexus eſt.

III.

Iris, quam diſſertatione botanica delineatam Praeſide CAR. P. THVNBERG publ. exam. ſubiicit OL. IAC. EKMANN. d. XVI. Dec. ann. MDCCLXXXII. Vpſal. 4. plagg. 5. tabb. 2.

Prolixi Iridis generis noua haec expoſitio certiſſime gratum inueniet Lectorem, cum duodecim nouarum

nouarum (quamuis ex parte in LINN. *ſupplem.* ſuppeditante Noſtro memoratarum) ſpecierum africanarum a Cel. THVNBERGIO in promontorio bonae ſpei lectarum, deſcriptiones exhibeat, quarum quinque in tabulis annexis nitide ſunt exſculptae. Indicato in variis ſyſtematibus loco (§. II.) data deſcriptione generis (§. III.) corolla 6petala inaequali, petalis alternis geniculato-patentibus, ſtigmatibus tribus cucullato-bilabiatis dignoſcendi, ab *Ixia*, *Croco*, *Gladiolo*, *Antholyza*que corolla hexapetala, a proxime affini *Moraea* petalis dictis alternis erectis, ſtigmatibusque dictis diſtinguendi, cuius ſpecies africanae ſaepe monadelphae, ſpecierum Noſter tradit characteres (§. IV.) deſcriptionem (§. V.) ſynonyma (§. VI.) locum (§. VII.) florendi tempus (§. VIII.) vſumque (§. IX.), vnde excerptam ſequentem ſpecierum expoſitionem Lectori beneuolo acceptam fore putamus.

* *Barbatae*

a) *foliis enſiformibus.*

1. *I. ciliata*, foliis ciliatis. (LINN. *ſupplem.*) Hab. in Africae collibus, prope vrbem Cap.
2. *I. minuta*, foliis glabris, ſcapo, vnifloro, petalis oblongis acutis (LINN. *ſuppl.*) Hab. in procliuitate montis Leuweſtart dicti prope Cap, vrbem.
3. *I. pumila* LINN.
4. *I. ſuſiana* LINN.
5. *I. florentina* LINN. ſimillima *I. Germanicae*; differt petalis albis integris, minorum marginibus baſi reflexis, maioribus magis erectis, ſtigmatis labio crenato magisque erecto.
6. *I. biflora* LINN.
7. *I. aphylla* LINN. Patria adhuc ignota.
8. *I. variegata* LINN.

9. *I. germanica* LINN.

10. *I. ſambucina* LINN. ſimilis *I. germanicae*; differt petalis maioribus ſaturatius violaceis ſubmarginatisque, minoribus emarginatis ſaturatius coeruleis, ſtigmatibus acutis, ſerratis, carina coeruleſcente.

11. *I. ſqualens* LINN. Differt a *germanica* petalis *maioribus* medio replicatis, ſaturatius violaceis, venis albis flaueſcentibus, et in medio coeruleſcentibus, *minoribus* ſtigmatibusque ſqualide flauis emarginatis.

12. *I. compreſſa*, foliis glabris, ſcapo paniculato compreſſo. (LINN. *ſupplem.*) Hab. in interioribus regionibus Hottentottorum.

13. *I. dichotoma*, foliis glabris, caule paniculato tereti. (LINN. l. c. PALL. it. III. 714. T. A. f. 2.)

b) *foliis linearibus.*

14. *I. tripetala*, folio longiore, ſcapo vnifloro, petalis alternis ſubulatis (LINN. *ſupplem.*) Hab. in collibus prope Cap vrbem Africae.

15. *I. tricuſpis* LINN. ſcapo ſubbifloro, petal. alternis trifidis. Habitat ibidem in collibus infra Duyvelsberg copioſe.

16. *I. plumaria*, ſcapo multifloro, ſtigmatibus ſetaceo-multifidis. (Moraea *iuncea*, *vegeta*, LINN. *ſpec. pl. ſyſt. nat.* Mor. *iriopetala*. L. *ſupplem.*) Hab. infra Duyvelsberg iuxta vrbem, in collibus.

* *Imberbes.*

a) *foliis enſiformibus.*

17. *I. xiphium*, LINN.

18. *I. pſeudacorus* LINN.

19. *I. foetida* ſeu *I. foetidiſſima* LINN.

20. *I. virginica* LINN.

21. *I. verſicolor* LINN.

22. *I.*

22. *I. ochroleuca* LINN.
23. *I. ſpathacea* (I. ſpathulata L. *ſuppl.*) Habitat in Hauteniquas regionibus et in C. b. ſp.
24. *I. ramoſa* (*I. ramoſiſſima* L. *ſuppl.*) Hab. in arenoſis C. b. ſp.

b) *foliis linearibus.*

25. *I. Siſyrinchium* LIN.
26. *I. verna* LIN.
27. *I. perſica* LIN.
28. *I. anguſta*, folio filiformi-lineari erecto glabro, ſcapo glabro ſubunifloro, ſpathis obtuſis. Hab. in collibus C. b. ſp. infra Duyvelsberg et Leuwekopp.
29. *I. ſetacea. I. ſetifolia* L. *ſuppl.* Habitat in collibus C. b. ſp. hinc inde rarior.
30. *I. tenuifolia*, fol. filiformi-linearibus, ſcapo bifloro, (PALL. it. III. 714, Tab. C. fig. 2. LIN. *ſuppl.*)
31. *I. graminea* LIN.
32. *I. ſpuria* LIN.
33. *I. fibrica* LIN.
34. *I. martinicenſis* LIN.
35. *I. pauonia*, folio lineari glabro, ſcapo ſubunifloro. (LIN. *ſuppl.*) Hab. in Swartland C. b. ſp. collibus et alibi, inter frutices rarior.
36. *I. criſpa*, foliis criſpis (L. l. c) Hab. prope vrbem Cap in collibus.
37. *I. papilionacea* foliis reflexis hirtis. (L. l. c.) Hab. in collibus prope vrbem Cap, vulgaris. Variat petalorum colore. Ab *I. ciliata* differt foliis totis hirtis, laminis alternis ouatis.
38. *I. edulis* folio lineari pendulo glabro, ſcapo glabro multifloro. (L. l. c.) Hab. in arenoſis campis depreſſis collibus C. b. ſp. vulgatiſſima. Variat corolla coerulea, alba, lutea.

39. *I. triſtis* foliis glabris, ſcapo hirto ramoſo. (L. l. c.) Hab. infra Duyvelsberg, prope vrbem Cap.

40. *I. polyſtachya* fol. linearibus planis, ſcapo glabro ramoſo. Hab. in Cap. b. ſp. inter Sondagsrivier et Viſchrivier.

41. *I. viſcaria*, foliis planis, ſcapo viſcoſo. (L. *ſuppl.*) Hab. in arenoſis Saldahna-bay.

42. *I. bituminoſa* foliis ſpiralibus, ſcapo viſcoſo (L. l. c.), Hab. prope Bergriuier etc.

c) *foliis tetragonis.*

43. *I. tuberoſa* LIN. l. c.

Qua vſum, praeter decus hortorum, et medicum *I. Florentinae, Germanicae, Pſeudacori, tuberoſae*, ac *biflorae*, plurimas quoque ſpecies africanas, ſpeciatim tamen *edulem*, tam ſimiis, quam hominibus, nutrimento eſſe aſſerit Noſter, quippe quarum bulbi cum ſcapis in faſciculos collecti ac leuiter cocti et ſapiant bene et optime nutriant.

Tabularum annexarum prima *Ir. criſpae, ſetaceae* et *pauoniae*, altera *papilionaceae* exhibet icones et *bituminoſae.*

IV.

Ixia, quam diſſ. botanica, delineatam, Praeſide CAR. P. THVNBERG. publ. exam. ſubiicit IO. DAN. RVNG d. XXI Ian. ann. MDCCLXXXIII. Vpſal. 4. plagg. 3. Tabb. 2.

Similli, ac Ireos, huius generis hiſtoriam cura adaequata elaborauit ac pari ordine tradidit Cel. THVNBERG, ipſe de quindecim nouis ſpeciebus detectis bene meritur, vnde non potuit non iam notarum ſaepe mutari differentia. Generis eſſentiam Noſter in corolla ponit tubuloſa; Tubo filiformi recto, Limbo 6-partito, campanulato, aequali;

li; ſtigmatibus tribus ſimplicibus, et nunquam 6-petalam eſſe notat corollam; ac hinc *chinenſem gladiatam et africanam* ad Moraeas migrare iubet. Diuiſio ſpecierum ſequens nunc eſt:

* *caule ramisque folioſis.*

1. *I. fruticoſa*, foliis imbricatis. (LIN. *ſupplem.*)

** *ſcapo foliis breuiore.*

2. *I. minuta*, ſcapis vnifloris, foliis laeuibus. (L. l. c. Facie ſimillima Fabriciae *minutae*.

3. *I. bulbocodium*, ſcapo ramoſo, floribus ſolitariis, foliis ſulcatis reflexis. (L. *ſyſt. nat.* id. nom. Ixia *roſea?* ib. Ix. *quadrangula* et *bulbocodiodes* DE LA ROCHE *diff.*) Differt a reliquis ſtigmatibus ſex: corollarum colore variat, et magnitudine, foliisque linearibus et filiformibus. Foliis reflexis, marginibus reuolutis, floribus remotioribus, ab aliis diſtinguitur, quae cum *I. roſea* eadem eſt ſpecies.

4. *I. humilis*, ſcapo ramoſo, floribus ſecundis, foliis ſulcatis erectis. Hab. in collibus C. b. ſp. circum Cap. Variat corolla lutea, incarnata, ſcapo indiuiſo pauciflоro et ramoſo multifloro.

*** *ſcapo foliis longiore.*

a *hirſutae:*

5. *I. piloſa*, fol. lin. piloſis, floribus alternis. (LIN. *ſuppl.*) Veſpera ab hora quarta flores aperit.

6. *I. hirta*, fol. enſiformibus hirtis, floribus ſecundis. (Ixia *inflexa* DE LA ROCHE) ſimilis I. *ſecundae*, ſed differt foliis valde villoſis, pilis albidis.

7. *I. ſecunda*, fol. elliptico-enſiformibus, ſcapo villoſo-ſcabro. (Ixia *flexuoſa*? LINN. *ſp. pl.* Ixia *ſcillaris* LINN. *ſuppl.* Ix. *ſecunda* BERG. *fl. Cap.*) Variat ſcapo ſimplici et ramoſo.

b *glabrae:*

α *foliis criſpis:*

8. *I. criſpa*, fol. linearibus, floribus alternis. (LIN. *ſupplem.*) Variat ſcapo ſimplici et ramoſo, corollis coeruleis et albis.

9. *I. cinnamomea*, foliis lanceolatis criſpis, floribus alternis. (LINN. *ſuppl.*) Europaeis Caneelbloem. Florum ſpica refert Gladiolum *recurvum*, ſed differt corolla regulari. Foliis criſpis ſimilis Ix. *criſpae*, ſed differt foliis lanceolatis, duas lineas latis.

10. *I. corymboſa* LIN. (LIN. *ſp. pl.* Ix. *imbricata* DE LA ROCHE.) Variat flore albo et coeruleo.

β *foliis aequalibus:*

11. *I. linearis*, fol. linearibus, ſcapo ſimplici erecto. (LIN. *ſuppl.*)

12. *I. capillaris*, fol. linearibus ſcapo polyſtachyo, ſpathisſcarioſis. (L. l. c.) Flores videntur pedunculati, ſed rami vniflori.

13. *I. ſetacea*, fol. lin. ſcapo flexuoſo glabro. Hab. in collibus circum vrbem Cap. Variat flore vireſcente et luteo, ſcapo vnifloro et multifloro, hocque ſimplici et ramoſo. Limbi baſi fuſca ſimilis *I. maculatae*, ſed diſtincta, quod multoties minor, ramoſa et foliis lineari-anguſtis.

14. *I. ſcillaris*, fol. lin. floribus ſecundis, rachide flexuoſa. Hab. in collibus Cap. b. ſp.

15. *I. ariſtata*, fol. lin. ſpathis ariſtato-dentatis. Hab. cum. 12.

16. *I. pendula*, fol. lineari-enſiformibus, ſcapo polyſtachyo, ſpicis pendulis (LIN. *ſuppl.*) Omnium Ixiarum altiſſima, ſpecioſa corollis magnis, cernuis.

17. *I. bulbifera* LINN. (Ixia *monanthos* DE LA ROCHE.) Variat flore purpureo, rubro alboque variega-

variegato, flauo, ſcapo breuiſſimo ſimplici, altiori ramoſo, bulbifero.

18. *I. erecta*, fol. enſiformibus, ſcapo polyſtachyo, floribus alternis immaculatis. (Ix. *polyſtachya* LINN. *ſp. plant.* Ix. *erecta* BERG. *plant. Cap.* Ix. *thyrſiflora* DE LA ROCHE) Variat corollis luteis et violaceis vnicoloribus.

19. *I. maculata* LINN. Simillima Ix. *erectae*, vix praeter maculam corollae diuerſa, variat corolla albida, flaua, apicibus purpureis, albo-coeruleſcente, coerulea, purpurea macula pallida rariſſime, et viridi, quae vltima pulcherrima, ſpicis ſaepe pedalibus.

20. *I. crocata*, (Ix. *Milleri* BERG. *pl. Cap.*) Omnium Ixiarum facile pulcherrima, vti caeterae culta, magis ramoſa et ſpecioſa euadit. Variat ſcapo ſimplici breui paucifloro et macula atra ſupra feneſtram, ſcapo alto polyſtachyo multifloro et altiori, corollis rubicundis.

21. *I. lancea*, fol. enſiform. floribus ſecundis, ſcapo ſimplici flexuoſo. Hab. in C. b. ſp. infra Pickelberg.

22. *I. pentandra*, fol. enſiform. floribus pentandris. (LIN. *ſuppl.* id. nomen. Ixia *ſcillaris?* LIN. *ſp. Pl. ſyſt. nat.*) Hab. in C. b. ſp. extra vrbem Cap, in collibus, prope Groene Kloos. Variat floribus triandris ſtigmatibus 3; tetrandris ſtigm. 4; et pentandris ſtigm. 5.

23. *I. falcata*, fol. enſiform. reflexo-falcatis. (LIN. *ſuppl.*) Variat ſcapo ſimplici et ramoſo, palmari et ſpithamaeo; floribus alternis et ſecundis, rachide vix flexuoſa et valde flexuoſa.

24. *I. exciſa*, fol. ouatis, floribus ſecundis, ſcapo flexuoſo. (LIN. l. c.) Rariſſime caulis medio cauliculum edit, vniflorum.

Edules

Edules quidem aliquot ſunt ſpecies, inprimis animalibus fodientibus, nullae tamen vel Hottentottis vel Europaeis valde expetitae. Ob flores in hortos introductae coluntur ibique ſpecioſiſſimae euadunt. Odorem noctu et veſpera ſuauem ſpargunt *cinnamomea*, *piloſa* et *falcata*, circa horam quartam veſpertinam flores aperientes, adeo accurate, vt horam inde concludere liceat, niſi inſtet pluuia, quam tum floribus clauſis praeſagit.

Annexarum Tabularum prima *minutae*, *falcatae frutricoſae* et *exciſae* exhibet, altera *cinnamomeae*, *capillaris* et *criſpae* icones elegantes.

V.

Botaniſche Beobachtungen, auf das Jahr 1782. *von* FR. KAS. MEDIKVS, *mit einer Kupfertafel, einem ſexuellen und einem alphabetiſchen Regiſter. Mannheim, in der neuen Hof- und academiſchen Buchhandlung.* 1783. 419. *S.* 8.

i. e.

F. K. MEDICI obſeruationes botanicae, aeſtate anni 1782 inſtitutae, cum icone aenea et indice ſexuali et alphabetico.

Inter induſtrios vitiorum Linneanorum emendatores non vltimum profecto locum mereri videtur, cuius obſeruationes botanicas iam commendabimus, Cl. Auctor; qui iam a longo tempore quamlibet fere plantarum familiam ſumma animi intentione, ſummoque oculorum acumine ita eſt contemplatus, vt de indefeſſo Ipſius certiora de plantis obſeruandi ſtudio non poſſint non ſumma exſpectare commoda, quos obſeruationum eius fidem experiri non poenitebit. Maiorem vero laboribus

boribus eius, niſi nos omnia fallunt, famam conciliaret, ſi minus ſeuerus, tantam erga LINNEVM indignationem fugere, ſuorumque aemulorum, RETZII inquam, aliorumue in corrigendo modeſtiam, ſequi vellet. Etſi enim nos neutiquam ſimus coeci Linneanarum opinionum aſſeclae, tamen Cl. MEDICI erga LINNEVM aegre tulimus vehementiam, qua omnem fere eius laborum famam in contemtum adducere ſtuduit. Dubii enim adhuc ſumus, vtrum tot tantasque obiectiones LINNEVS mereatur, quantas eidem a Cl. Auctore obiectas eſſe vidimus; quamuis enim negare neutiquam poſſimus, plurimis abundare ordinem Linneanum erroribus, eumque in determinandis partibus ſaepius a vera earundem natura aberraſſe, minus tamen ideo vituperandus nobis videtur: etenim innumeras plantarum familias certis iisque nouis adſcribere regulis, adeo arduum eſſe videtur, vt in opere hoc perficiendo vnius hominis labor vix ſufficere queat. Neque ſua ſemper peccaſſe culpa LINNEVM, quilibet facile comperiet, cui anteceſſorum aequaliumque eius libros euoluere volupe fuerit. Hi enim ipſi, ſi illorum deſcriptiones rite ſumus contemplati, LINNEVM obſeruationibus ſuis naturae minus fidelibus a veritate ſaepius ſeduxiſſe videntur. Nec tanta inſolentia praeditus fuit, quantam a Cl. Auctore eidem tributam vidimus: ipſum enim errorum expertem ſe neutiquam habuiſſe, iteratae a ſemet ipſo factae in ſyſtemate ſuo nobis probare videntur emendationes, quas ab aliis eidem obiectas eſſe recordamur. Ne vero quis, cum haec legit, exiſtimet, nos, antiquorum ſplendore captos, recentiorum virtutes non animaduertere, omiſſis omnibus, quibus defendi LINNEVS poſſit, argumentis, ad rerum ipſarum enumerationem nos conuertimus, certo confiſi, nos

his,

his, quae modo diximus, neque Cl. MEDICI, neque Lectorum noſtrorum gratiam amiſiſſe.

Reperiuntur in primo faſciculo *contortarum quarundam plantarum deſcriptiones*. Quilibet, vel nobis non hortantibus, obſeruationes has procul dubio ſtudioſiſſime leget, qui non accurate definitae nimiumque implicitae florum ſtructurae, in quas definienda explicandaue iam ROTTBOELLIVS, KOELREVTERVS atque IACQVINVS diu multumque laborarunt, recordatur, neque ſtudii in hanc rem collocati eundem poenitebit. Etiamſi enim ſolas partium deſcriptiones exhibuerit Cl. Auctor, iconibus, quae magno iisdem ornamento fuiſſent, omnino deſtitutas; aptiſſimas tamen easdem, non modo ad diſſecandum, diſſectionisque ipſius methodum comperiet lector, ſed ſtructuram quoque partium, quae florem conſtituunt, foecundationisque ipſius modum magis illuſtratum reperiet, quam adhuc factum erat. Hanc vero floris ſtructuram magis explanauit, *Cynanchi acuti* potiſſimum, *Aſclepiadis Vincetoxici, fruticoſae* atque *incarnatae* diſſectione, quae aptiſſimae Auctori noſtro ad conamina haec rite inſtituenda videntur plantae. Commiſit vero flores de pedunculo auulſos, priusquam microſcopio eorundem fabricam luſtraret, ſolis ardori, quo copioſus, qui corpus truncatum LINNAEI circumdat, humor paululum abſorberetur, eamque normam omnibus, qui obſeruationum ſuarum veritatem experiri volunt, commendat. Praeripuit vero Noſter IACQVINO palmam in eo, quod receptaculi ſtaminum ſtructuram, antherarum numerum, ſtigmatum figuram et liquidi foecundantis ad germina vſque viam melius explanauerit. Quod ad antherarum numerum pertinet, quilibet nouit, IACQVINVM contortas omnes decandrarum claſſi adſcripſiſſe, eamque vel *Periplocam graecam* contra

ROTT-

ROTTBOELLII atque KOELREVTERI opinionem huic plantarum tribui adnumeraſſe. Noſter vero fideli plantarum inſpectione probauit, pentandras p. 12. vtique inter contortas reperiri plantarum ſpecies, ipſamque *Periplocam* ad has pertinere. Sunt nimirum in quolibet huius plantae filamento antherae duae, quae in inferiori apice diuergentes, ſuperius in vnum corpus coëunt, adeoque vnicam tantummodo antheram conſtituunt, quae cum rima in ſtigmate reperiunda tam arcte coniungitur, vt ab eodem non niſi vi adhibita remoueri poſſit. Cognita vero ſunt, quae Cl. Auctor nos de flore *Periplocae* docuit, cum eadem, quae in faſciculo hoc reperiuntur, iam olim *) exhibuerit. Praeter hunc *Neria Oleander* atque *Sibiricum*, quod a IACQVINO deſcriptum ad *Apocyna* referebatur, et *Koelreuteria procumbens*, quam olim pro *Cynanchi* ſpecie habuit eandemque alibi iam deſcripſit, **) ad contortarum pentandrarum cenſum pertinent. In *Nerii* genere fila quinque albida detexit, quae margini ſtigmatis altera extremitate adnata, in minimum oſtiolum prope extremitatem inferiorem antherae ita inſinuantur, vt antheras ipſas et firmiſſime et proxime ſtigmati alligent. Haec genericas *Nerii* notas efficere eaque propter vtramque hanc plantam arctiſſime coniungere Auctori noſtro videntur. Cauendum vero eſt, ne rudi florum contrectatione filamentula diſrumpantur, quo papillarum minimarum formam induunt, quod idem IACQVINO factum eſſe videtur. *Koelreuteria procumbens*, quae vltima ex pentandris eſt, tranſitum ab his ad decandrias conſtituit, cum non ſolum filamenta quinque antherifera, vti praecedentes, offerat, (quae lata erecta ſunt, quorumue quodlibet in interno latere anthe-

*) vid. Acta Soc. elect. oecon.
**) ibid. Vol. VII. 1774. p. 179.

antheras duas inferiori apice in vnum corpus connatas gerit,) verum quoque filamentis quinque ſterilibus gaudeat, (quae corpuſculis ſtaminiferis et colore et fabrica analoga ſunt, in corpuſculo quodam in floris centro collocato, quod truncatum nunc dicere liceat, cuiusue vberiorem deſcriptionem mox ſumus exhibituri, et antheras quidem in aſclepiadarum modum, ſteriles vero continent) et flore magis compoſito, ad aſclepiadarum claſſem propius accedat. Reperitur nempe in centro floris corpuſculum, quod piſtilli formam refert, ſed ex duabus partibus ſibi inuicem impoſitis conſtat, quorum alterum germina tegit, alterum filamentorum adhaeſioni eſt deſtinatum. Illud tubum appellauit, et cylindracea figura, a ſuperiacente dignoſcitur, praeterea quoque cum corolla coniungitur, in ſinu ſuo germina abſcondit, et antheras in foueis ſingularibus continet, ſuperius fornicatum eſt, fornice minimo oſtiolo pertuſa, in quod inferior pars ſuperioris corpuſculi, quod *conum* nominauit, axis inſtar detornata recipitur. Conus vero, cui filamenta adhaerent, ſuperiori ſua extremitate, cum ſtigmatis figura vtplurimum adeo conuenit, vt pro eodem haberi facile poſſit. In *Koelreuteria* bifidus eſt atque hiulcus. Antherae foecundae iuniores pellucidae ſunt, ſenſim in capſulas vacuas celluloſa tela repletas mutantur, ex qua earum ſtructura non immerito ad oleoſam pollinis naturam concluditur. Infoecundas antheras rarius detexit Cl. Auctor, adeoque exiſtimat, ſaepius deeſſe, quod vero propter naturae regulas, quas in hac plantarum familia raro violatas videmus, vix exiſtimamus. Stigmata plana apici germinum impoſita, eam coni partem attingunt, qua cum tubi oſtiolo vnitur. Et per hanc ipſam procul dubio viam foecundans antherarum

rarum materia ad germinum fertur receſſus. Vberiores fuimus in *Koelreuteriae* deſcriptione exponenda, quoniam haec ipſa cum omnibus aſclepiadearum plantarum ſpeciebus proxime conuenit. In altera ſectione aſclepiadeas decantheras quas- p. 31.
dam deſcripſit, nimirum *Cynanchum acutum*, *Aſclepiadem ſyriacam*, *incarnatam*, *fruticoſam*, *Vincetoxicum*, et in appendice ad hanc ipſam *Stapeliam hirſutam*. Nectarium *Cynanchi* nomen hoc, vti aliae p. 34.
plures a LINNEO ſic dictae productiones, neutiquam meretur, cum nihil aliud ſit, quam interior corolla. Vagina IACQVINI, illud ipſum eſt, quod in *Koelreuteria* tubum atque conum nominauimus, horum anatome accurate a Noſtro tradita digna profecto eſt, quae ab omnibus et diligenter legatur et in natura inquiratur. Patet enim ex hac foecundationis methodus adeo luculenter, vt naturae ſolertiam mirari ſatis non poſſimus. Illud enim, quod a Cl. IACQVINO pro ſtigmate habebatur, quod in genere de omnibus Aſclepiadeis dictum eſto, nihil aliud eſt, quam ſuperior pentagona corporis conici lamina, cuius margini ex parte tubercula ſtaminifera ſunt adnata, ſtigmata vero ipſa inferiori ſuperficiei huius corpuſculi ita admouentur, vt flore marceſcente ab eodem ſeiungi facile poſſint. Antherae vero in ſacculis, qui partim ex corporis conici, partim ex tubi productionibus ita efficiuntur, vt rimulae ex iisdem ad interiorem tubi cauitatem, in qua ſtigmata requieſcunt, penetrent, abſconduntur. *Aſclepias Syriaca* dignoſcitur rimis perpendicularibus quinque in conico corpore reperiundis, quarum quaelibet productione ſquamarum tubi longitudinali, in duo caua dirimitur. Membranae albidae ad latera cuiuslibet ſquamae exſtantes in easdem rimas ita inſinuantur, vt a corpore conico aegrius remoueri poſſint. In foueis hiſce modo deſcriptis antherae reperiuntur, de quarum polline animalcula minima ſaginantur. Fi-

lamenta eiusdem ſunt elaſtica. In *Aſclepiade incarnata* ſtructura partium floris omnium facillime obſeruari poteſt, namque facillimus obſeruatur corporis conici a tubo ſeceſſus. Conuenit vero eadem cum antecedentis ſpeciei forma, ſi a rimis quinque perpendicularibus in cono et productionibus ſquamarum huc inſertis receſſeris. Difficilius vero in *Aſclepiade frutiçoſa* conus a tubo ſeparari poteſt, cum arctius inter ſe ſint complicata. Deeſt porro in eadem ſquamae productio ſtigmati in caeteris ſpeciebus incumbens, tubum cum cono vniens, eoque loco quindecim dentibus inſtruitur. Staminum vero ſitus in hac facillimo negotio detegitur. *Aſclepiadis Vincetoxici* non ſunt pendulae ſeſſilesue antherae, vti a IACQVINO traditae ſunt, ſed filamentis minimis obliquis inſident, vti in *Cynancho acuto*, quocum noſtra planta multum ſimilitudinis alit. Ex figura nectarii Linneani ad vnionis modum, qui tubum conumue intercedit, colligi poſſe Noſter autumat. Quando nimirum cornicula nectarii, vti in *Aſc. incarnata* reperiuntur, tunc brachia ſquamarum ſtigmati impoſita hanc vtramque partem coniungunt, quando vero eadem, vti in *A. frutiçoſa*, deficiunt, tunc denticulis ex cono in tubi ſquamas profectis alligantur. Florem *Stapeliae hirſutae*, quem ſemel modo diſſecauit, a reliquo aſclepiadearum genere adeo diſcrepantem detexit, vt foecundationis norma explicari adhuc nequeat. Non modo enim antherae, longo filamento inſidentes, verſus ſuperiora diriguntur, quod iam a IACQVINO notatum eſt, ſed conicum quoque corpus, per quod in antecedentibus pollinis via ferebatur, omnino deeſt, cuius loco lamina quinquangularis admodum craſſa data eſſe videtur, cui inferius ſtigmata germinum apponuntur. Tubo adfident corollae interiores appendices, eiusque ſuperior

modo

modo pars, quae ex laminis quinque cordatis conſtat, generationis partibus fauet, et ſquamis interiori earum ſuperficiei adnatis polline ſemper madentibus antheras tegunt. Laminae hae cordatae inferius apertura obliqua in tubum, in quo germina latitant, hiare ſolent. Exterius vero quaelibet lamina cum adiacente per eminentiam lateralem coniungitur, cui corpuſcula ſtaminifera ſunt adnata.

In tertia ſectione characteres plantarum modo recenſitarum collegit, eosque animaduerſionibus quibusdam illuſtrauit. Quo vberiores nos in recenſenda antecedente ſectione fuimus, eo breuius huius capitis ſummam repetemus. Quae enim in illo fuſius expoſuerat, haec nunc ſummatim collegit, vt eo luculentius harum plantarum et generales et ſpecificae notae innoteſcant. Promeruit vero hac notarum characteriſticarum expoſitione lectorum ſuorum gratiam Cl. Auctor, cum eadem ad obſeruationes ipſas facilius intelligendas non parum conferat. Conueniunt nimirum aſclepiadeae decantherae, de pentandris, quarum flores minus compoſiti ſunt, nihil amplius dicamus, quinque filamentorum paribus, quorum quodlibet per corpuſcula ſtaminifera inciſuris marginalibus laminae ſuperioris corporis conici adſidenti alligatur, tubo inferius integro, ſuperius in quinque ſquamas diſſecto, quarum quaelibet duos efficit ſaccos, ſacculi hi, qui ſuperius lamina alba ſtigmati Iacquiniano impoſita clauduntur, ex parte quoque a corpore conico formantur. In quolibet horum ſaccorum anthera iacet. Corpus conicum in tubi foramen ita inſinuatur, vt pollini viam ad germina muniat. Stigmata vero, quae laminae rotundae pilis obſitae formam gerunt, inferiori coni apici ita applicantur, vt pro vno corpore haberi facile poſſint. Orificium inter tubum et conum ab humore quodam madefit, qui pro- p. 56.

cul dubio pollini admiſcetur. — Denique florem *Vincae roſeae* deſcripſit, ex qua deſcriptione hoc notamus, ſtylum ex duobus componi canalibus, qui inter germina a ſe diuergant et in ſuperioribus eorum apicibus inſerantur, ſtigma capitatum circulo excauato circumdari, et ab inferiori eius parte membranam, quae tubum corollae claudat, deſcendere, et corpuſcula albida oblonga prope germina ſita eadem in ſitu ſuo firmare.

p. 95. In altero faſciculo *obſeruationes ſuper plantarum generibus male a* LINNEO *diſpoſitis* in duabus ſectionibus tradidit. In priori ſectione earum plantarum, quas LINNEUS gynandras dixit, quasdam accuratius deſcripſit. Putat nimirum, plures harum plantarum immerito inter plantas gynandras referri, cum neque ſtylo neque receptaculo elongato ſtamina adhaereant, ſed pedunculi productioni, quam pedunculum fructus (*Fruchtſtiel*) appellauit. Gerit pedunculus hic vel germina ſola, vti in *Euphorbia Dictamno* et *Capparide*, vel corollam atque ſtamina ipſa ſimul recipit. Plurimas earum plantarum, quae huc pertinent, ad gynandriae claſſem LINNEVS retulit, neque tamen omnes. Sic enim *Silenes* atque *Cucubali*, quae duo genera coniungenda eſſe affirmat, ſpecies eodem iure gynandris annumerandas eſſe exiſtimat, quam alia plura plantarum genera huc collata. Filamenta enim inferius in tubum connata, receptaculo elongato adeo firmiter adhaerent, vt non niſi flore marceſcente ſeiungi ab eodem poſſint. Hanc pedunculi productionem cum LINNEO receptaculum elongatum appellari poſſe, omnino negat, quam tamen denominationem vix quisquam LINNEO vitio vertet, qui omne receptaculum nihil aliud quam ſupremam pedunculi partem eſſe, in qua fructificationis partes

partes reſideant, intellexit. Ad plantas, quae ex gynandriae claſſi remouendae videntur Cl. Auctori, *Ayenia inermis* pertinet. Praecipua, quae in huius plantae deſcriptione mutauit, eo redeunt, quod corollam in duplicem petalorum ſeriem diſtribuerit, in tubum, quem LINNEVS pro nectario cylindraceo habuit et in petala quinque manubriis ſimilia, quod praeterea ſtaminum numerum ad denarium attulerit, quorum quinque fertilia a LINNEO deſcripta, quinque ſterilia, laminae cordatae petalorum inſident; et quod receptaculum elongatum piſtilli partes gerens, in corollae tubo libere latitans deſcripſerit. Refert eapropter *Ayeniam* ad decandras. Si quis forſan Lectorum noſtrorum ſit, quem Cl. MEDICI Linneana vitia taxandi methodus fugiat, eum hortamur, vt hanc *Ayeniae* deſcriptionem conſulere velit. Tanta enim fuit Cl. Auctoris in emendando huius plantae charactere ſeueritas, quanta in alio loco vix vllo. Hic ipſe quoque iudicandi rigor Cl. Auctorem hinc inde a veritate ſeduxiſſe videtur. Sic enim non in Reichardiana demum generum editione, ſed in VI. iam *Ayeniae* characterem emendare ſtuduit; neque faucem campanulatam corollae cylindricae neglexit LINNEVS, dicens *nectarium cylindraceum campanulatum*; quod filamenta breuiſſima dixerit, illud quodam modo concedi poteſt, cum ſuper duas tertias ſuae longitudinis partes cum tubo connata ſint; ſterilia tandem ſtamina, pollinis vix quidquam ſecernentia, non magis ſtaminum mereri videntur nomen, quam tubus corollae nectarii denominationem; nihil eapropter impedire videtur, quominus eadem cum LINNEO *mucrones* appellemus. — *Grewiam occidentalem* ad polyandras retulit; *Helicteres* in ſtaminum numero perquam varias ad decandriam. *Paſſiflorae* filamenta circa receptaculum in tubum

connata plantam hanc monadelphis adſociant. Flora de receptaculo elongato, quod ſecundum editiones generum nouiſſimas ad gynandriae characteres pertinet, diſſeruit. Habuit quidem hoc, dum conderet ſyſtema ſuum LINNEVS, pro ſtylo, vituperari tamen eapropter non amplius poteſt, cum grauiſſimum huncce errorem ipſe dein et intellexerit et emendauerit *Gluta Benghas*, *Piſtia ſtratiotes* ad monadelphiam, *Kleinhofia hoſpita* ad *Helicteres* ſunt relatae. *Zoſteram oceanicam* vero, ex gynandria remouendam, et ſecundum numerum ſtaminum in alium locum collocandam eſſe ratur. *Xylopia*, cuius antherae ſecundum LINNEVM germini adſident, vel polyandris adſcribenda, vel *Uvaria* aliaeve plantae plures, in quibus idem reperitur, propo eandem in gynandriam ſunt collocandae. Auctori noſtro prius probatur. *)

p. 151. In altera ſectione *monadelphias a* LINNEO *male diſperſas collegit*. Confudit vero vtplurimum filamentorum tubum cum nectario. Huc pertinere videntur, *Gomphrena globoſa*, *Celoſiae* omnes, *Achyranthes lappacea*, quae ob filamenta in vnum tubum connata ad *Celoſias* pertinere videntur. *Tamarix germanica*, cuius filamenta decem in tubum connata ſunt, offert in capſulae ſeminalis valuis lineas prominentes, quae procul dubio ſtyli ſunt. *Amorpha fruticoſa* neutiquam papilionacea. *Cytiſus capitatus* et *auſtriacus* et huius generis ſpecies plures. *Geniſta Sibirica* IACQUINI. *Spartium inuceum* antheris irritabilibus. *Ononis fruticoſa*. *Ononis rotundifolia* vero eſt diadelpha. Aliae plantae
p. 179. filamenta et antheras ſimul connatas offerunt, quae Mo-

*) Conſentit igitur Cl. Auctor in eo cum THVNBERGIO, qui ſimili ratione omnem Gynandrarum claſſem ſuperfluam plantasque aliis inſerendas eſſe in Flora Iaponica (vid. ſupra p. 216.) propoſuit.

Monadelphias Syngeneſias appellauit. Huc pertinent *Impatiens balſamine*, cuius filamenta in medio ita coaleſcunt, vt, poſterioribus ſuper anteriora flexis, galeam referant. Tubo huic anthera tubuloſa ſtigma abſcondens eſt impoſita. Foecundatur procul dubio piſtillum ex alio flore, ſtigma enim florentis ſemper acutum Cl. Auctor vidit, marceſcentis vero floris amplum et madidum; anthera praeterea, non in interiori, ſed in exteriori ſuperficie polliniſera, officium, cuius cauſa data eſt, in ſuo flore perficere nequit. *Ruſcum racemoſum* ad eundem ordinem retulit. Idem quoque de *Violae* genere valere Auctor arbitratur. *Obſeruatio de floribus maſculis et femineis diuerſo tempore in eadem planta prouenientibus*, quam in *Iatropha Papaya* inſtituit. Plantam hanc foliis palmatis lobis omnibus pinnatifidis glandula cordiformi in apicis pedunculi parte oppoſita deſcripſit. Flores maſculi prius floruerunt, et ſtylos ſine germinibus et ſtigmatibus obtulerunt, quibus poſt ſex ſeptimanas feminei ſtaminibus anandris ex eodem loco ſucceſſerunt. Annon potius polygama? p. 191.

Accedimus ad tertium huius opuſculi faſciculum, prioribus certe aequiparandum. Egit in eodem primo *de Fraxini flore*, et monuit, omnes Fraxini ſpecies, in tres quaſi dirimi poſſe familias, communes nimirum, italicas et americanas, quarum illa neque peranthium, neque corollam, italicae vero vtrumque gerant, quorumue prius modo in americanis reperiatur. Ad priores *F. Steidelii* pertinet, antheris ſeſſilibus, et cuiusuis generis floribus in quauis arbore conſpicuis, a *F. excelſiore* diuerſa. *F. nouae angliae*, et *caroliniana* ſolo foliorum colore diſtinguuntur, dioicae eſſe videntur, et americanarum characteres offerunt; prioris perianthium adeo paruum eſt, vt lente modo innoteſcat. *F. orni*, p. 201.

quae italicae ſpecies eſt, piſtillum adeo paruum
p. 208. eſt, vt oculorum aciem facile ſubterfugiat. *Ilex quadripetala* foliis ouatis planis integerrimis. Vngues petalorum ne minimum quidem coaliti ſunt, (quod vel in *I. aquifolia* ſaepe vidimus) filamenta cochleariformia ſterilia margine luteo larali, in apice ſuo cinguntur, quare exiſtimat hanc plantarum familiam ad polygamiam LINNEI eſſe
p. 211. referendam. *Tetragoniam fruticoſam*, quae certe
p. 214. polygama eſt, huic claſſi reſtituit. Dein *de plantis quibusdam dioicis diſſeruit, quae hermaphroditarum formam gerant.* Vidit nimirum frutices quosdam, quorum genitalia in diuerſis floribus magnitudine diſcrepabant, et re accuratius penſitata perſpexit, eos ſolummodo matura ferre ſemina, in quibus piſtilli partes florem magnitudine excedebant. Putauit eapropter, hoſce flores feminarum officio proſpicere, et ſtamina, quae vtplurimum ſterilia ſunt potius ornamenti, quam foecundationis, cauſa data eſſe. Quae ſententia ex eo procul dubio multum corroboratur, quod earum arborum ſemina non matureſcant, niſi ſtaminei frutices in propinquo floreant. Cauendum vero eſt, ne infoecunda ſemina pro foecundis habeantur; accreſcunt enim ſaepius ſine maſculo polline ſemina ita, vt eadem exteriorem maturorum ſeminum formam omnino exprimant. Plantae vero, in quibus hanc florum ſtructuram obſeruauit, ſunt *Ptelea trifoliata*, *Celaſtrus ſcandens*, cuius maſculum florem, niſi nos omnia fallunt, LINNEVS modo deſcripſit, *Rhus glabrum, vernix, copallinum, radicans, Cotinus* et *typhinum, Gleditſchia triacanthos*, cuius perianthium ſexfidum in maſculo flore corollam continet nullam, in feminino vero corollam hexapetalam. *Dioſpyros virginiana* ſtamina XVI in duobus circulis ſita obtulit, femina vero ſtamina octo infecunda. *Meniſpermum canadenſe*,

huius

huius perianthium deficit, reliquae partes cum Linneana deſcriptione conueniunt. Ex plantarum harum fabrica apparere exiſtimat, monoeciae et polygamiae claſſes, certis regulis non diuerſas, easque ex ordine prorſus remouendas eſſe. Arbores foliis variegatis ſemina matura non ferre exemplo *Aceris pſeudoplatani*, quod monoicum reperit, corroborare ſtuduit. Quod quidem dixit contra MILLERVM, qui ex ſeminibus huius arboris iuniores plantulas parentibus analogas produxiſſe affirmauit. Herbas variegatas ſemina matura ferre, experientia nos docuit. *Structuram filamentorum cucurbitacearum plantarum* a LINNEO minus accurate eſſe expreſſam quilibet nouit, qui genericas harum notas in generibus eiusdem conſuluit. Superiorem enim filamentorum partem in plurimis connatam, in aliis, vti Cl. MEDICVS nos docuit, modo firmius adglutinatam, in *Trichoſante* et *Momordica* male pro anthera connata habuit, adeoque omnem familiam, quae ad monoeciam monadelphiam numeranda fuiſſet, ad monoeciam ſyngeneſiam retulit. Reperit vero in *Momordica Elaterio*, *Cucurbita lagenaria*, *Melopepone*, et *Bryonia africana* filamenta vſque ad apicem ſeparata, adeoque has plantas in triandriam claſſem collocandas eſſe autumat. Cum tamen in cucurbitaceis omnibus apices filamentorum vel membranis vel glutine interiacente vniantur, magis nobis eorum arridet ſententia, qui eorum generum nullum ſeiungere audent. p. 249. p. 253.

Quaedam de nectariis LINNEI: inſcriptus ita eſt tractatus, in quo partim generalem nectarii notionem ſtabilire ſtuduit, (ſub quo nihil aliud quam glandulam nectariferam intelligendam eſſe ratur, cui tamen ſententiae *Aconiti* et *Geranii* diuerſae ſpecies aliaeue plantae plures repugnant) partim quorundam florum, inprimisque *Delphinii* atque p. 271.

Tropaeoli, fabricam accuratius determinauit. Nectaria enim *Delphinii* in corollam refingit, et LINNEI petala ob lineas virides in exteriori pagina conſpicuas in calycem transmutat. *Tropaeolo* vero perianthium denegat.

p. 284. Inſequens huius faſciculi ſectio *accuratiori quorundam Conuoluulorum deſcriptioni* eſt deſtinata. Reperiuntur in eadem *Conuolvulus farinoſus*, *Ipomaea coccinea*, et *Ipomaeae* ſpecies noua. Prioris plantae deſcriptio, a Iacquiniana paulum diuerſa, cum noſtra planta omnino conuenit. Noſtra quoque perennis, primo tamen ſuae vitae anno copioſis et floribus et fructibus nos delectauit. *Ipomaeae coccineae* quam nos vidimus, corolla laciniis quinque cordatis, ſtaminibus inaequalibus albis, ſtigmate ſubrotundo albo gaudebat, et cum Cl. MEDICI planta prorſus conueniebat. *Ipomaeae* noua ſpecies, quam modo ſub *I. carneae*, modo ſub *Conuoluuli carolinini* nomine ab amicis accepimus, omni habitu ſuo *purpureum* exprimit, ſolo ſtigmate orbiculato ad *Ipomaeas* accedit. Quod, niſi paucae *Conuoluli* ſpecies, quas diſquirere nobis licuit, nos fallunt, minus firmos inter vtrumque genus conſtituit fines.

p. 297. In vltima tandem huius voluminis parte *ſuperfloris ſtructuram in diuerſis arboribus atque herbis obſeruationes* collegit. Deſcripſit nimirum variorum florum fabricam ita, vt non ſolum ad ſtaminum numerum et nexum reſpiceret, et, vtrum a LINNEO recte ordinata ſint, iudicaret, ſed etiam euolutionis rationem ſimul attenderet, quae ab omnibus fere adhuc neglecta eſt botanicis. Linneanum in obſeruationibus his exponendis ordinem eſt ſecutus, et ab altera Linneani ſyſtematis claſſe, vſque ad polyadelphiam eſt progreſſus. Omnes ac ſingulas obſeruationes, quae lectorum attentionem merentur, enumerare quidem non poſſumus,

mus, quasdam tamen exempli cauſa more noſtro adiungere conſtituimus, quo Lectores noſtri, qui Cl. MEDICI faſciculos in poteſtate non habent, de aſſiduitate Ipſius perenni atque indefeſſa iudicare valeant. *Iasminum grandiflorum* ſaepe triandrum, ſtylos duos, quin imo tres ſaepius gerit, ſtigmate bifido, peranthio et corollis multifidis, quae ſaepius octofida ſunt, ad Nyctanthem accedit. Exterior vero plantae vtriusque habitus aeque atque laciniarum calycis atque corollae numerus inconſtans earundem coniunctioni repugnat. *Iaſminum odoratiſſimum* ſub dio cultum in *I. humile* tranſire affirmatur. Etſi vero lubenter conceſſerim intimam eſſe vtriusque plantae affinitatem, vix tamen putauerim, prorſus eandem eſſe, cum partim transmutationis huius exemplum nunquam viderim, partim in modo florendi, foliis floralibus ſimplicibus, cauliumue ipſorum ſuperficie, ſigna plura reperiantur cuilibet ſpeciei propria, quae adeo conſtantia mihi eſſe videntur, vt characteriſtica eadem habere non dubitem. *Cornus Amomum* SOLANDR. accuratius deſcripta, ne tantillum enim cum Cl. DUROY definitione conuenit; eius ſtamina ante efflorescentiam inflexa. *Cornus longifolia* et *ſericea* neutra cum *C. ſericea* LINNEI ita conuenit, vt pro eadem haberi facile poſſit. *Euonymus europaeus* (*vulgaris* a Cl. MEDICO dictus) tetrandros atque pentandros flores pari numero gerit, tetrandrorum vero florum ſemina modo matureſcunt. *Euon. latifolius*, qui LINNEO eſt *europaei var.* β ſpecie diſtinctus eſſe videtur a vulgari; eius enim filamenta breuia craſſaque ſunt, et antheras fertiles quidem, vix tamen conſpicuas, proferunt, neque foliorum figura conueniunt. *Euon. longifolius* nullibi deſcriptus, ſemper tetrandrus eſt, petalis gaudet rotundiuſculis planis violaceis. *Euon. verrucoſus* pentapetalus quidem ſaepius cernitur,

nitur, quaternum vero numerum ſtamina nunquam exceduntur. *Vitex integra*, quam LINNEVS pro varietate *Vit. agni caſti* habuit, et *Vitex finuata*, quae cum *V. Negundo* vulgo confunditur, ad tetrandriam pertinent, ſtamina filamentis aequalibus offerentes, et ſpecificis notis veris praedita eſſe videntur. *Rhamnus* LINNEI praeter naturam conſtructum genus eſt, in plura adeoque dirimendum, cuius aſſerti periculum a Cl. Auctore factum eſt. Diuiſit nimirum in *Rhamnum*, quem ad tetrandriam retulit, in *Frangulam*, *Paliurum* et *Zizyphum*, quos pentandros detexit. Negari omnino nequit, diuerſas *Rhamno* ſubiectas ſpecies, et flore et fructu multum differre, adeoque Noſtrum has diuidentem reprehendere non audemus. Tetrandrae ſunt *R. ſaxatilis*, *catharticus*, et *infectorius*, qui hermaphroditos flores ſaepius gerunt. *Bignonia Catalpa* vere pentandra eſt, antherae in duobus filamentis fertilibus quatuor, quae leuiter altero apice cohaerentes, altero diuergunt. Vna harum antherarum, dum flos aperitur, aſſurgit, ita vt filamento ex aduerſo poſita ſit. Ad hanc claſſem quoque *B. radicans* pertinet. In *Salſola fruticoſa* deeſt ſtylus, ſtigma infundibuliforme criſpum trifidum, germen cylindraceum. *Frangula alnus* calycem quinquefidum, petala quinque habet, quae inter calycis lacinias vnguibus minimis inſerta ſunt, et a LINNEO *ſquamulae* nominantur. Filamenta in ſulcum petali recipiuntur. *Ribes Dillenii* in DILLENII hort. Elt. tab. 244. deſcriptum, denuo definitur. *Paliurus clypeiformis*, qui *Rhamnus Paliurus* LINNEI eſt, petala offert patiniformia manubrio excauato, in quo filamenta latitant. Efflorescentiae modum ab Auctore Cl. notatum ſilentio praeterire non poſſumus. — Diſſiliunt, inquit, perianthii laciniae, eaeque, vbi horizon-

zontalem ſitum acceperunt, quieſcunt, dein petala cum adiacentibus ſtaminibus, quae interea aſcenderant, per perianthii lacinias reclinantur, et pedunculo apponuntur. Dum haec a natura peraguntur, accreſcunt piſtilli partes, et dein aſſurgunt denuo ſtamina, circa piſtillum incuruantur, et ſuper ſtigma pollinem plorant. Fecundatione peracta rurſus declinantur, voluptatis ſuae poenas marceſcendo luentes. Diclini flores interdum deteguntur. Stamina *Ceanothi americani* in petalorum concauitate requieſcunt, donec haec verſus pedunculum reclinantur; tunc enim aſſurgunt, et verſus ſtigma ſeſe inclinant. *Tamarix gallica* vnico ſtylo gaudet, ſuperne trifido. *Zizyphus officinarum* germine ex rotundo plano, ſtylis duobus, quorum quilibet ſtigmata duo recuruata gerit, a *Paliuro* dignoſcitur. *Ceanothus americanus* cum his *Rhamni* ſpeciebus nobis vix coniungendus videtur. *Celtis auſtralis* et *occidentalis* pentandrae quidem ſunt, etſi in flore omnino euoluto ſtamina omnia reperiri vix vnquam queant. Haec enim verſus interiora inclinata, antherarum ſuarum apicem in foraminula circa germen diſpoſita recondunt, ſimulque non diſſiliunt, ſed ſenſim ſenſimque et eriguntur et ad debitam accreſcunt magnitudinem; et in eo quidem has ſequuntur regulas: vnum modo erigitur, pollinem pluit, marceſcit, defluit, nunc priori ſuccreſcit alterum, alteri tertium, et ſic porro; inde fit, vt, ſi vltimum in actione, cuius cauſa datum eſt, conſpiciatur, priores iam euanuerint. In *Caſſia marylandica* ſtamina tria ſuperiora ſterilia ſunt, infimum ſaepe deficit. Hoc in *Caſſia occidentali* quoque infecundum. *Hydrangea arboreſcens* decandra, filamenta maiora in flore inaperto inclinata, breuiora ſemper erecta ſunt, ſtylis deſtituitur; id enim, quod vulgo pro ſtylis adiumi-

adſumitur, apices germinum ſunt. Cum *Zizyphi* et *Ceanotho* coniungi vix poteſt. *Crataegi* plures decandrae ſunt, nimirum *viridis*, *crusgalli* et *ſalicifolia*, aliae icoſandrae, vti *coccinea*, et *villoſa*. Genus hoc a *Sorbo* et *Meſpilo* ſeiungi vix poteſt, cum ſtylorum numerus nimium inconſtans ad quem LINNEUS fere vnice reſpexit, huic ſeparationi repugnet. In *Pruno virginiana* ſtylus germini a latere adnatus conſpicitur. *Iuglans regia*, *nigra?* et *cinerea* icoſandrae ſunt; claſſes enim, in quibus ad flores diclinos reſpicitur, reiiciendos eſſe exiſtimat. Priori ſtylos, qui minimi modo nobis apparuerunt, deficere dicitur, *nigra* vero atque *cinerea* ſtylos offerunt, magnitudine vero diuerſos; in priori enim longiſſimus eſt. In poſteriori mares nullos detexit. Non omnes *Hyperici* ſpecies polyadelphae ſunt; in aliis enim, vti in *hircino* et *canarienſi*, filamenta omnia diſtincta ſunt, quae ad polyandriam Cl. Auctor retulit, in aliis, *olympico* nimirum atque *perforato*, in vnum tubum ſunt coalita, in *androſaemo* vero et *calycino* plures reperiuntur filamentorum faſciculi. Diſtribuit eapropter has in polyandriae monadelphiae et polyadelphiae claſſem. In *H. hircino* filamentorum magnitudo variat, piſtillorum numerus ſaepius ad quinarium aſcendit. *H. perforatum* petalis altero margine dentatis nigropunctatis ab *olympico* differt. *Calycinum* calyce minore, ſtaminum faſciculis quinque, germine oblongo, floribus ſolitariis, ab *androſaemo* dignoſcitur. *Coloteae* filamenta elaſtica, ſtigmata acuta, in apice ſtyli, non barbata in latere eiusdem offerunt. *C. arborescens*, ſolo colore et partium magnitudine a *C. rubra* differt, harum legumina nullibi hiant, *C. orientalis* legumina ſuperne hiantia profert, in *C. fruticoſa* vero idem hiatus inferne reperitur. In *Robiniis* calyx ſtrumoſus quinquedentatus ſemper deteritur.

gitur. Hae praecipuae ſunt obſeruationum in hoc faſciculo traditarum. Rigorem, quo errores LINNEI taxauit, ad calcem libri emendare ſtuduit, ſimulque antea prolatam de aſclepiadeis decandris ſententiam mutauit; tubercula enim ſtaminifera, quorum ſingulo duae adhaerent antherae, omnes ad pentandriam reiicere videntur. Explicatio tabulae aeneae, in qua quinquaginta ſex figuris, fabricam partium floris antea traditam explicare eſt anniſus, ſcopo, cuius cauſa addita eſt, ſatisfacere nobis videtur. p. 369. p. 378.

Index plantarum ſexualis, in hoc opere obſervationibus nouis, rigoroſiſſime inſtitutis, illuſtratarum, et alius alphabetico ordine concinnatus, cui vel terminorum variorum explicationes ſunt adiectae, operis huius egregii vtilitatem augent. p. 386. p. 392.

VI.

ALBRECHT WILHELM ROTH, *der Arzn. Doktor, Landphyſ. im Herzogth. Bremen, und Ehrenmitglied der deutſch. Geſellſch. in Bremen, Beyträge zur Botanik*, 1 *Theil, Bremen* 1782. 8. 132 *S.* eiusd. 2 *Theil*, ibid. 1783. 190 *S.*

i. e.

A. W. ROTHII aduerſaria botanica Faſc. I. II.

Collegit Cl. Auctor in opuſculo hoc diuerſos botanici argumenti tractatus, quibus vel accuratior partium plantarum expoſitio traditur, vel varia phyſices vegetabilis themata explicantur, vel rei herbariae diſcendae neceſſitas atque modus illuſtratur. Plures eorum a Cl° ROTHIO ipſo ſunt elaborati, neque tamen deſunt aliorum collecti labores, eosque, ſi qui Auctori in poſterum mittentur, lubentiſſime ſemper ſuis immiſcebit.

Optan-

Optandum quidem eſſet, vt viri adeo ſolertis induſtria in obſeruando perennes agere radices, et vt alii, quibus ſcribendi opportunitas non eſt conceſſa, conamina ſua eidem transmittere vellent.

Tom. I. p. 1. Continentur in prima parte decem varii argumenti diſſertatiunculae: *Spontaneas quasdam plantas ducatus Oldenburgici* prima earum enumerat ita, vt rariores modo indicet, vulgaribus omniſis. Continet hicce catalogus ſexaginta et vnam plantarum ſpecies, Linneana methodo diſpoſitas, eiusdem definitionibus ſpecificis determinatas, et propriis vel deſcriptionibus vel obſeruationibus magis illuſtratas. Ex his, quae nobis praecipui videntur, Lectoribus noſtris, quibus earum rerum notitia, vti certo ſperamus, curae cordique eſt, enumerabimus, vt iisdem et rerum contentarum praeſtantia, et Auctoris Cl^i in obſeruando ſagacitas innoteſcat. —

Salicornia herbacea in regionibus maritimis articulos cylindricos ſaepius profert. *Callitriche autumnalis* androgyna eſt; folia apice bifida, vel in *C. verna* vidimus. *Veronica maritima* fructificationis partibus duplo minoribus a *V. longifolia* diſtinguitur, huius laciniae breuiores bifidae, calycem ſerfidum fere reddunt. In *Pinguiculae vulgaris* generica deſcriptione, error LINNEI labium ſtigmatis ſuperius cum inferiori confundens emendatur. *Scirpi maritimi* nota eſſentialis ſquamae ſpicularum trifidae eſſe videntur; flores enim modo in vmbellam, modo in paniculam congeſtos vidit. *Scirpus triqueter*: conuenit planta haec cum deſcriptione et icone Bauhiniana a LINNEO in Specierum Plantarum enumeratione ſub *Scirpi mucronati* nomine citata, pro quo haberi nequit, quia tres caulium carinae in illo deficiant, et mucro rectus panicula multo

to longior ſit. *Poam maritimam* a LINNEO proſus omiſſam, ab HUDSONO, OEDERO aliisque deſcriptam atque depictam, et a LIGHTFOOD male cum *Feſtuca fluitante* commixtam, aliquantulum fuſius deſcripſit, eamque ad *Poae* genus vtique pertinere corroborauit. Cum *Plantagine maritima* vulgo alia eiusdem ſpecies confunditur, quae maioribus foliis ad *P. Loeflingii* accedit et pro *P. ſalſa* PALL. vel *incuruata* JUSS. a Noſtro habetur. *Corni ſuecicae* deſcriptio amplior. *Iſnardia paluſtris*, *pepli* ſimillima, ſed maior, ſub aqua repens et demum natans. *Ilex aquifolium* conſtanter polygama dioecia. *Menyanthes nymphoides*, foliis ad *Hydrocharem* vel *Nympheam* accedit, quadruplo maiora ſunt illius et quadruplo minora huius foliis; ad baſin germinis glandulae nectariferae quinque reperiuntur, *M. trifoliatae* quoque propriae. *Lyſimachia nemorum* ſola capſula ſeminali ab *Anagallide* differt. *Phyteumae ſpicatae* flores apud nos ſemper albi conſpiciuntur. *Gentiana tetragona* OEDERI male a LINNEO pro varietate *Gentianae campeſtris* habebatur. *Gentiana filiformis* tetrandra eſt. *Tordylium nodoſum*, dum in horto colitur, vmbellas pedunculatas gerit, eius ſemina exteriora hiſpida, interiora ſcabra, eandem ob cauſam cum *Scandice infeſta* proprium genus conſtituere poſſet, vel ob ſemina omnia hiſpida ad *Caucalidem* referri deberet. *Antherici oſſifragi* capſula hexagona ſexſulca eſt. In *Triglochine maritimo* et calyx et filamenta deficiunt; tria enim petala, quae LINNEVS pro calyce aſſumſit, certe ad corollam pertinent, antherae vero non filamentis, ſed vnguibus inflexis petalorum inſident. *Ericae tetralicis* flores tribracteati, harumue bracteārum duae calyci appreſſae ſunt tam arcte, vt cum eodem commiſceri facile queant. *Elatine hydropiper*, ſtylis deſtituitur. *Spergulae ſaginoidis*

ginoidis germen glabrum ſtyli hirſutiſſimi. *Stratiotes aloides* ad dioecias polyandras pertinet; corpora enim, quae pro rudimentis ſtaminum vulgo habentur, certe nectaria ſunt. *Ranunculo hederaceo* petala alba, filamenta plerumque decem tribuit. *Lamii maculati* character in tubo corollae hirſuto, faucis dente vno tantum ſetaceo inflexo cet. Mirum profecto eſt, quod a LINNEO *Bunias* ad ſiliquoſas ſit relata, cum tamen ipſe et in generica et in ſpecifica huic generi ſubordinatarum plantarum deſcriptione, has ipſas ſeminum capſulas, ſecundum naturae regulas in ſiliculas reformauerit. *Fumaria claviculata:* haec papilionacea eſt, (petalis inter ſe connatis) filamentum ſuperius vexillo, inferius receptaculo affigitur, quod fere in omnibus ſpeciebus, quas vidimus, obſeruauimus. *Geniſta anglica* glabritie, ſpinis ſimplicibus et foliis ouato lanceolatis petiolatis a *G. germanica* differt.

p. 40. *Obſeruationes quaedam botanicae* ſex plantarum rariorum prolixiores deſcriptiones continent. *Hedyſarum caput galli* magnitudine paulo maiore, leguminibus aculeatis, ſpinis integris, leguminibus monoſpermis, ab *H. criſta galli*, cui ſimillimum eſt, dignoſcitur; hoc enim paululum minus eſt, ſpinas latas compreſſas inaequales dentato ſpinoſas, et legumina diſperma gerit. Cum *Vicia narbonenſi*, alia Vicia ſpecies multum conuenit, quae caule ſolido, ſtipulis apice integris, vexillo ex albo violaceo, alis nigricantibus, legumine compreſſo ſcaberrimo ſeminibusue duplo minoribus ab eadem differt. *Hibiſcus Trionum var.* β. LINNEI pro ſingulari ſpecie ab Auctore habetur et cum MILLERO *africanus* cognominatur. Foliis radicalibus cordato ſubrotundis, ſuperioribus omnibus tripartitis, foliorum lobis atque petalis anguſtioribus, ſeminibusve nigris ab *H. Triono* differt.

p. 45. *De diſcrimine ſpecierum ac varietatum regulae.* Cum

Cum quotidie fere magnus nouarum plantarum detegatur numerus, quae pro cuiuslibet lubitu, modo pro ſingularibus ſpeciebus, modo pro aliarum plantarum varietatibus aſſumuntur, perquam laetamur, Cl^um^ Auctorem regulas collegiſſe, quas obſeruatores botanici in determinanda plantarum origine ſequi debeant. Eoque magis laetamur, quo magis iam a longo tempore ſumus mirati, regulas has, non nouas quidem, ſed paſſim iam commendatas, obliuioni prorſus dari, vel certe negligi, pluresue diſtinctas quidem, ſed perquam affines plantarum ſpecies, ſecum commiſceri, et pro eadem planta ſaepius haberi. Nocet error hic vegetabilis ſcientiae incremento tantopere, quantopere vix vllus, eo ipſo enim a naturali plantarum ordinandarum ſerie magis magisque remouemur. Transmutant vero plantarum exteriorem faciem, radiorum ſolarium, aëris terraeue, (nonne etiam aquarum fugendarum?) varietas, adeoque harum ipſarum rerum permutatione, ea ipſa ad rectam viam optime reducitur. Quodſi vero transplantari planta nequit, quam pro alius varietate quis habet, hortatur Auctor obſeruatorem, vt ad florendi tempus attendere velit; quodſi in eo inſignis eaque conſtans reperitur diſcrepantia, tunc vel minimae in exteriori habitu diſcrepantiae ad ſeparandas easdem ſufficiunt. Eamque ipſam ob cauſam duas *croci* varietates, *officinalem* nempe atque *vernum*, quorum ille in autumno florens foliis anguſtioribus ſubulatis margine reuolutis (quod quoque de *verno* valet) ſtriatis, ſtylo longiſſimo profunde trifido, ſtigmatibus trifidis odoratis dignoſcitur, a poſteriori prorſus ſeiunxit. Diuerſitas quoque in fructificationis partium ſtructura, ad plantas ſpecie ſeparandas Auctori Cl^o^ ſufficere videtur, cum hae ipſae partes transmutationi rariſſime modo ſint ſubiectae. Contra hanc regulam ſaepius peccaſſe nobis videtur

LINNEUS, *Valerianas*, *Medicagines* aliasue plures plantas ſemine perquam diſcrepantes vniens.

p. 60. In quarto tractatu *de irritabilitate foliorum Droſerae rotundifoliae* et *longifoliae* agit. Cum enim folia quaedam harum plantarum conuoluta accuratius conſideraret, reperit animalcula demortua pilis in foliorum margine ſitis verſus interiora flexis circumdata. Inflectuntur vero non ſolum pili hi, ſed ipſa quoque folia ab apice ipſorum verſus baſin incuruantur, ſi animalculo viuo ſuper iisdem prorepente vexantur. Poſſent vero animalcula facile aufugere, cum perquam lente abſoluta foliorum conuolutio eueniat; ſex horarum enim ſpatio ea demum abſoluitur; niſi vnguinoſus, quem ſuper pilis reperiundae glandulae ſecernunt, liquor, eorum pedes foliis ipſis firmiſſime adglutinaret eademque mox interimeret. Inflectuntur vero primi pili minores in foliorum diſco ſiti, dein maiores illi marginales incuruantur, et tandem folia ipſa ab apice ſuo ad baſin conuoluuntur. In ſtatu hoc tam diu manent, quam diu quaedam ab animalculo irretito ſentitur irritatio. Conuolutio ipſa in *D. longifolia* calidisue diebus paulo celerius abſolvitur. Si ab inſectulis minoribus lateralis ſolummodo margo irritatur, tunc vexata ſolummodo folii pars inflectitur. Proprietatem hanc, quae ſenſibilitatis nomen neutiquam mereri Noſtro videtur, ad nutritionem plantae aliquid conferre, contra Cl. SCHREBERVM, ſtatuitur, quod tamen *Sphagni* ſurculi, quos *Droſerae* pilis ſaepius irretitos vidimus, concedere vix videntur. Lectis his, ſaepius animalcula *Droſerae* foliis ſuperimpoſuimus, ea tamen humore paululum abſorpto, ſemper auolarunt.

p. 76. In quinta ſectione *de rarioribus tractus Oldenburgici plantis* diſſerere pergit. *Orobus tenuifolius*, *O. tuberoſo* ſimillimus, caule inferne quadran-

drangulo ramoſo ſuperne alato, foliolis linearibus, longioribus, ſtipulis ſemiſagittatis vnidentatis, ab eodem differt. *Trifolium alpeſtre* contra Cl. POLLICH diadelphum deſcribitur: de *Trifolio frogifero* dicendum eſſet labio ſuperiore calycis inflato bidentato; non enim totus calyx in flore deflorato inflatur, neque bidentatus dici recte poteſt. *Hyperico quadrangulari* contra LINNEVM pori foliorum pellucidi tribuuntur. In *Scorzonera humili* folia lineari lanceolata ſemper detexit. *Zanichelliae paluſtri* pericarpia monoſperma non dehiſcentia conceſſit, quae in Linneana definitione corticem ſeminum conſtituunt. In *Littorella lacuſtri* flores maſculi pedunculati, feminei ad radicem ſeſſiles ſunt. Flores maſculi *Myricae Gales* glandulis nectariferis pellucidis ex aureo ſplendentibus gaudent. *Atriplicis littoralis* folia integerrima nunquam vidit; *pedunculatae* vero calyces feminei bicornes ſunt.

Sexto *epitomen epiſtolae* I. C. OEDERI *de flora* p. 93: *Germanica cogitata continentis* tradidit. Optat nimirum Cl. OEDERVS collectionem omnium in Germania naſcentium plantarum cum definitione earum characteriſtica et iconibus, iis tamen omiſſis, quae in flora Danica et Auſtriaca iam reperiuntur. Huius ipſius elaboratione, omnes florae ſpeciales ſuperfluae forent, quarum inſignis numerus botanicorum taedium facile moueret. *Catalogi plan-* p. 103. *tarum Oldenburgicarum* continuatio. *Prunus Padus* flores maſculos plures gerit. *Sinapis aruenſis* a *S. orientali*, ſolo germine et ſiliqua laeui, quae partes in orientali retrorſum hiſpidae ſunt, differt. Octa- p. 110. vo *ſuper neceſſitate herbarium viuum colligendi et de ordinandi modo diſſeruit.* Non eſt, vt huius tractatus ſummam Lectoribus noſtris referamus; nouimus enim iisdem Linneana de hac re praecepta dudum cognita eſſe, eumque ipſum tironibus modo botanices ſcientiae perquam proficuum exiſtimamus.

p. 120. *Plantarum quarundam a* LINNEO *non deſcriptarum adumbrationes. Scorzonera taraxaci* exteriori habitu *Leont. Taraxaco* ſimillima, calycis ſquamis omnibus erectis oualibus magnitudine inaequalibus, ſemine longius in ſtipitem producto, et magis compreſſo, ab eodem differt. Folia anguſtiora runcinato dentata. *Conuoluulus proſtratus* foliis radicalibus ouatis obtuſis emarginatis longe petiolatis, pedunculis vniſloris, caulibus proſtratis a congeneribus facile dignoſcitur. *Caucalis platycarpos* foliis ad *C. leptophyllam*, flore ad *grandiflorum* et ſemine ad *latifoliam* accedit. *Cuffea viſcoſiſſima*, nunc omnibus nota, ob calycem inaequalem, quaſi calcaratum, ſexdentatum, ob ſquamulam nectariferam reflexam ad baſin germinis, ob capſulam ſuperne dehiſcentem et emittentem receptaculum craſſiuſculum verſus apicem, quaſi ramoſum ſeminibus ſecundis obſeſſum, cum *Lythro* coniungi ne-

p. 127. quit. In vltima denique primae partis ſectione *obſeruationes quasdam plantarum*, quae accuratas vndecim rariorum plantarum deſcriptiones continent, exhibuit. Plantae hic reperiundae ſunt *Ranunculus paruiflorus*, cuius calyx reflexus, ſtamina 8 - 10, ſemina apice vncinata latere ſcabra continet. *Geranium gruinum*, cuius flores priores ſemper ſteriles ſunt. *Campanula hybrida*, *Erinus*, *Conuoluulus Nil*, *Laſerpitium Monieri*, quod *Selinum Monieri* Linnaeum, *Aethuſae Cynapio* in floris partibus ſimillimum ſemine ad *Laſerpitium* accedit, iam LINNEO notante. *Moliugo verticillata*, ſtigmata in germine trigono ſeſſilia offert. *Pteleam trifoliatam* certe dioeciam eſſe confirmat. *Ipomoea pes tigridis*. *Verbena jamaicenſis* et *indica* ſpicarum craſſitie atque caulium hirſutie differentes, ad didynamias pertinere Noſtro videntur. An *Lotus corniculatus* aliis et crinis minimis, corneis, e luteo nigricantibus variet?

Altera

Altero volumine eadem induſtria varia rei her- Part. II.
bariae capita duodecim ſectionibus digeſſit. In pri- p. 1.
ma earum *botanices ſtudium ab opprobriis eidem vulgo factis defendit*, et vitia in eodem tractando vulgo commiſſa recenſet. Haec ſunt nimius varietatum monſtrorumue neglectus, vel eorundem cum ſpeciebus certis ac genuinis confuſio, humilium indigenarumque plantarum contemtus, quae tamen a quouis botanico prae caeteris diſquirendae eſſent, terminorum botanicorum et copia et iteratae permutationes, nimius plantarum numerus, et earum, quae vſu medico deſtituuntur, contemtio. Dein *Obſer-* p. 14.
vationes Plantarum protulit. *Gentiana exacoides* in ſicco ſpecimine flores omnes quadrifidos tetrandros obtulit. *Xeranthemi ſpecioſiſſimi* folia ſenſim in calycem abeunt. *Polypodium auriculatum*, quod LINNEUS glabrum vidit, villoſum a Noſtro eſt detectum, a *P. vulgari* pinnis diſtinctis acutioribus falcatis, ſtipite villoſo differt. Diuellit itaque Linneana ſpecierum ſubdiuiſio naturalem diuerſarum polypodiorum ſeriem. *Hedera quinquefolia* rarius fructificat, baccam calyce non cinctam diſpermam Noſter vidit. *Vitis vinifera* vix vnquam quinqueſperma. *Aſtragalus auſtriacus* ad *Phacas* pertinet, cum legumen vniloculare reperiatur, *Hedyſarum criſta galli* e contra ad *Aſtragalos*, cum legumina bilocularia diſperma, huius generis eſſentiam conſtituant. In *Collinſonia canadenſi* antherae didymae. *Siſon ammi* inuolucris neque vniuerſalibus neque partialibus gaudet. *Fritillaria meleagris* caule biflora variat. *Gladiolus byzantinus* MILL.: ſpecie vix a *Gl. communi* Linneano diſcrepat. *Meſpili germanicae* var. aculeata, fructibus, floribus et foliis minoribus. *Solanum guineenſe* ſpecie a *S. nigro* ſeiungendum eſt, a quo racemis erectis vmbellatis,

feminibus groſſis et tota ſua magnitudine conſtantiſſime differt. *Sium anguſtifolium* et *nodiflorum* ab HALLERO certe confuſa ſunt. *Orobanche maior* et *laeuis* ſimillimae ſunt, et a botanicis paſſim commixtae, cum non caulis ſuperficie, vtraque enim ſcabra eſt, ſed aliis ſignis differant. Differunt nimirum *O. laeuis* a *maiore*, ſtatura proceriore, angulis in caule acutis, bracteа vnica calyce maiore, calyce quadrifido, floris tubo calyce minore, antheris cohaerentibus, ſtigmate bipartito. Ad hanc HALLERI ſynonymon a LINNEO ſub *O. maiori* citatum. *O. maior* vero dignoſcitur caule obſolete anguloſo, bracteis tribus lateralibus calyce minoribus, calyce ipſo ſubquinquefido, tubo floris calyce duplo longiore, antheris non cohaerentibus, ſtigmate ſimplici. *Violae canina* et *montana* flores femineos fertiles, eosque apetalos gerunt, floribus hermaphroditis ſeriores, vnde hi foecundentur, explicatu profecto arduum eſt. *Thymi piperellae* et *alpini* notae diſtinctiuae, hic *Origanum vulgare*, ille *Mentham piperitam* odore (et ſapore) refert, eaſdem vires in aliis pluribus plantis, vt in *Clinopodio incano*, notauimus. *Chelidonii hybridi* folia non pinnatifida, ſed bipinnata *Anthemis Cotulae* foliis ſimillima ſunt. *Turnera* foliis eglandulosis, floribus longe pedunculatis axillaribus et racemoſis; horum ipſorum characterum ergo *T. vlmifolia* eſſe nequit, etſi in caetero habitu cum eadem conueniat; neque pro *T. ciſtoide* haberi commode poteſt, cum et magnitudine eandem excedat, et foliis vndique connatis rugoſis ouato lanceolatis longe petiolatis ab eadem differat. Ad vngues petalorum ſquamae ſunt, ſub quibus germen abſconditur. *Allii multibulboſi* accurata deſcriptio. *Aſperula taurina* polygama habetur, floribus maſculis ne rudimenta quidem

quidem piſtilli gerentibus. Comparent botanici, quibus plantam viuam examinare facultas eſt, hanc deſcriptionem cum LINNEI nota, omnes nimirum flores eſſe hermaphroditos, et piſtillum ante marceſcentiam floris rarius excreſcere. *Geranium* HVDSONII a REICHARDO ad *Ger. pyrenaicum* relatum, ab eodem ob ſtamina decem perfecta, quorum quinque ſeriora, ſeiungendum. *Valantia muralis* hirſutie *hiſpidae* ſimillima dicitur, ſed minor, diffuſa et proſtrata deſcribitur, et fructum hiſpidum trirostrem gerit, qui in *hiſpida* hiſpidus rotundatus eſt.

In tertia ſectione *regulae, quas botanophili, herbaria viua colligentes ſequi debeant*, ſunt propoſitae, p. 42. ad quam legendam tirones botanicos adhortamur.

De Geraniorum nectariis. Diuerſa horum organorum ſtructura, cuius et LINNEVS et alii plures botanicorum fecerunt mentionem, commouit Cl. Auctorem, vt omnes huius generis ſpecies in duas ſeiungeret familias. Cui quidem opinioni reliqua floris fabrica repugnare neutiquam videtur. In aliis enim calycem monophyllum detegimus, et in iisdem tubum nectariferum glandula terminatum in pedunculo reperimus; alia vero calyce pentaphyllo inſtruuntur, et glandulis nectariferis quinque, in orbem intra petalorum vngues diſpoſitis gaudent. Ad illa *africana*, vt cum LINNEO loquar, pertinent, haec vero ex *myrrhinis* et *batrachiis* componuntur. Cognita ea ſunt, niſi nos omnia fallunt, omnibus noſtrorum Lectorum, cum iam LINNEI atque BOEHMERI laboribus ſint declarata. Deſcripſit vero Auctor ſtructuram floris in XXVI. diuerſis *Geranii* ſpeciebus, adeo ſollicite, vt non ſolum ad diuerſum ſitum atque figuram partium, ſed ad earundem colorem quoque attenderet. Superfluum quidem hoc multis videri poſſet, neque tamen eosdem p. 70.

ſtudium poenitebit, quo obſeruatiunculas hu luſtrabunt. Inſignis enim certe eſt varietas quam Cl. Auctor in his adeo ſimplicibus partibus
p. 83. adnotauit. Si quis forſan ſit, qui *de vſu theſauri ſa catarum herbarum* dubitet, eum rogamus, vt tra tum quintum, in quo de eadem re diſſeritur, pe legere velit.

p. 87. In ſexta ſectione iterum *obſeruationes plan tarum* tradidit. Sub *Delphinii elati* nomine vulg duae diuerſae plantae complectuntur, quarum al tera foliis omnibus quinquefidis, pedunculis, flo ribus et capſulis glabris, filamentis verſus apicem externe barbatis, gaudet, quod a Cl. ROTHIO *ela tum* appellatur, altera vero folia ſuperiora trifida lanceolata, pedunculos, flores capſulasue hirſutas et filamenta glabra gerit, et ab Eodem *hirſutum* cog nominatur. Ob filamenta vſque ad medium in pla ra corpora membranacea connata, ad polyadelphia pertinent. *Caſſia nictitans* ſaepius tetrandra eſt. *Cleome pentaphylla*, *dodecandra*, *aculeata*, *violacea* et *arabica* accuratius deſcriptae ſunt. Etſi in ex teriori facie multum inter ſe conueniant huius ge neris ſpecies, plures tamen reperiuntur in accura tiori ſcrutinio varietates, quae a characteribus ge nericis a LINNEO expoſitis recedunt. Vnica, pen *taphylla* ex adductis gynandra eſt, et germen ſu per receptaculo elongato, ſtylo carens gerit. Mi ramur vero, Cl. Auctorem hoc ipſum receptaculum cum LINNEO ſtylum appellaſſe, cum varii nomi ſeducti exiſtimauerint, LINNEUM huic ipſi recepta culo, quod tamen aliis in locis in formam ſtyli elon gatum appellauit, ſtyli vices tribuiſſe, et metony miae vitium in hac ipſa denominatione ab eodem commiſſum, in ſummae ignorantiae errorem trans mutauerint. *Gomphrenae* ſpecies, cuius flores in racemum interruptum diſpoſiti, cum *G. interrupta*

L. con

L. conueniunt, differt caule proſtrato debili a ſpecie citata, cui erectus adſcribitur.

Plantarum quarundam LINNEO *incognitarum deſcriptiones. Hordeum maritimum* OED. quod *H. murino* proximum eſt, ab eodem omnino ſeiungendum. *Vicia incurua* pedunculis multifloris, caule quadrangulo; angulis duobus alatis; omnibus ciliatis. Manca fruticis dodecandri deſcriptio, de ramulo ſiccato confecta. Si LINNEUS eas modo ſyſtemati ſuo ſubiunxiſſet plantas, quas ipſe viuas diſquiſiuerat, pauciores profecto in ordine ſuo forent errores. p. 97.

Plantae a LINNEO *male ordinatae.* Fere omnes obſeruationes in hac ſectione traditae ex LINNEI ſupplemento plantarum Brunſw. 1781. edito ſunt collectae, quas quidem pauciſſimis propriis auxit, quae antea a nobis ſunt allegatae. p. 101.

Continuatio catalogi plantarum Oldenburgicarum. Schoenus fuſcus culmo triquetro deſcribitur. *Potamogeton*, quod a *natante* differt, foliis duplo longioribus, anguſtioribus, baſi attenuatis. *Potam. denſum* ſpica biflora a Noſtro eſt obſeruatum. *Impatiens noli tangere* tripetala eſt; petala enim quatuor inferiora in duo ſunt connata. *Betula alba* ramis pendulis pro ſingulari ſpecie a Noſtro habetur. p. 125.

Additamenta ad LEYSERI *floram Halenſem*, plantas varias rariores huius regionis continet, quas Cl. Auctor ſpecificis LINNEI notis illuſtrauit. *Plantaginem ſubulatam*, quam quidam pro *P. maritimae* varietate habuerunt, foliis teretibus vidit. *Vicia taſſubica* accurate deſcripta. Foliorum et florum numerus variat. p. 135.

Obſeruationes quaedam plantarum. In *viola montana, tricolore* et *canina* antherae non ſunt connatae. *Ornithogalum minimum* foliis linearibus, caulinis alternis vmbella breuioribus, pedunculis hirſutis, floribus ſubhirſutis, ſtylo longitudine ſtaminum ab *O. luteo* differt. In *Eruo tetraſpermo* ſeminum numerus p. 144.

merus a ternario ad quinarium variat. In *E. mon-tho* ſemper ternarius. *Hyacinthus*, habitu et odo-*H. orientalis*, ab eodem corollis campanulatis he-xapetalis aliisque pluribus ſignis diuerſus. *Lapa-linifolii* plantae humanae altitudinis deſcriptio.

p. 149. AVG. LVD. GVIL. HAGEMANN *Specimen Flor-Bremenſis.* Nomenclatura 476. plantarum Linnea-ordine confecta, cum notato loco natali, et flore-tempore. Promiſit Cl. Auctor huius operis contin-tionem, Eumque eapropter rogamus, vt eiusmo-catalogos, pauciſſimis botanicorum vtiles, et tract-tus de rebus tritis atque dudum perſpectis, quorſum herbariae ſcientiae vtilitas, diſcendi modus, et qua-de Herbariis viuis dicuntur, pertinent, omitte-velit. Tam multa enim adhuc grauia ſunt atque implicita in re herbaria, vt a bis cocta crambe fa-cile fatigemur.

VII.

AVG. IO. GEOR. CARD. BATSCH Elenchus fun-gorum. Accedunt icones LVII. fungorum nonnullorum agri Ienenſis ſecundum natu-ram ab auctore depictae; aeri inciſae et vi-vis coloribus fucatae a *I. S. Capieux.* Hala-Magdeb. apud I. Iac. Gebauer 1783. 4. p. 13. cum dedic. et praefat. Tab. aen. XII.

A quo vegetabilium ſcrutatores fungis demum curatiorem manum admouerent, plures pra-ſtantiſſimi botanici eorum coordinationem ſyſtema-ticam, enumerationem deſcriptionemque generum, ſpecierum, nec non varietatum tradere, et hanc co-gnitionem iconibus aeri inciſis, nec non recentio-more, colorum viuorum illuſtratione facilitare cu-tioremque reddere anniſi ſunt. Inter priores nom-

sent MICHELIUS, RAIUS, DILLENIUS, HALLERUS, STAEHELINUS; praeprimis vero Cl. GLEDITSCHIUS compositione completioris systematis et descriptionibus specierum varietatumque in singulare opus congestis hanc prouinciam suam quasi feciſſe visus est. Cl. SCHAEFFERUS vero harum stirpium dedit icones tribus voluminibus comprehensas multa industria exaratas eleganterue vivis coloribus fucatas. Tantum tamen abest, vt cunctis his conaminibus cognitioni earum illa adlata sit claritas, qua in reliquis stirpibus distinguendis nunc fruuntur botanici, vt potius, si tantundem a generum constitutione recesseris, adhucdum in specierum dignotione distincta et certa non minus cum tenebris colluctandum sit sat densis.

Quod cum in diligenti conquisitione et perueſtigatione vegetabilium huius ordinis bene animaduerteret Noster, discutere easdem tentauit inprimis constitutione subdiuisionum seu subordinum, inter species generi cuidam competentium. Id quod LINNEUM isthinc neglexisse haud ita perperam monet. An vero Ipse rem acu exactius tetigerit hocque opere facem lucentiorem incenderit, ex iis, quae exempli loco commemorabimus, facile intelligent Lectores.

Fungorum ordinis naturalis characterem in syn- p. 26.
opsi dicit: *vegetabilia genitalibus simpliciſſimis imperfectis, seminibus granulatis in superficie vel cauo peculiari simplici aggregatiſſimis contenta* etc. quem contra, nec non discrepantias a variis cryptogamarum generibus inde enatas, quas ibidem refert, multa certe monenda essent.

Postmodum suum proponit systema, Micheliano, vt dicit, simile, simil[i]us tamen Gleditschianae generum est exstructioni, in Cl[i] huius botanici *Methodo fungorum* traditae, cuius tamen ne verbulo quidem mentionem iniecit. Loco autem vndecim GLE-

DITSCHII

DITSCHII generum, hic nouem tantum reperiuntur, nimirum I. AGARICVS. II. BOLETVS. III. HYDNVM seu Eluela Gled. IV. PEZIZA. V. PHALLVS. VI. CLAVARIA. VII. CLATHRVS. VIII. LYCOPERDON. IX. MVCOR, quorsum Byssus Gled.

Magis tamen ad Auctorem pertinent subordines et specierum, hic relatarum, triuialia nomina; quare alienum non erit, paulo fusius proponere lecturis, quid hoc in campo praestiterit.

Atque primi generis subordines sunt: I. Valido pileo nimirum farcto carnoso stipite cauleſcente valido, in pileum crassum diffuso; lamellae validae plerumque fragiles et rariores. Species; *laſſus* SCHAEF. ic. 39. *virgineus* ic. propr. 12. *barbatus* ic. propr. 11. *ſanguineus* SCH. 75. var. β. Id. 58. et ic. propr. 13. γ. SCH. 15. 254. *rubellus* SCHAEF. 104. 214. *maculatus* Id. 240. *ceraceus* SCHAEF. 40. *lateritius* Id. 42. 54. *delicioſus* SCH. 235. ſub quo ſex varietates e SCHAEFFERO propter habitum coniunctissimum ſuppoſuit; qui tamen ſane vix de omnibus valet. *delicatus* SCH. 92. β 93. γ. 94. *fuluens* SCH. 5. *hepaticus* ic. propr. 15 SCH. 259. β. SCH. 55. γ. 213. *aurantius* SCH. 219. β. 221. γ. 251. *luteus* SCH. 41. *ſericeus* SCHAEF. 24. *mollis* Ic. propr. 14. *Rudolphi* ic. propr. 23. *ſubgranulatus* SCHAEF. 3. et ic. propr. 22. *oliuaceus* SCHAEF. 218. *fuſcus* SCHAEF. 36. *fuſiformis* Id. 87. *pullus* SCHAEF. 64. β 69. γ. 14. *violaceus* SCH. 34. *ſubcyaneus* Id. 53. *ſubuiolaſcens* SCHAEF. 56.

p. 49. Subordo II. Character: pileus ſubfarctus carnoſo-membranaceus cum ſtipite coaleſcens mollis ſtipesque: hinc germanice *Weichpilze*. Species hic recenſitae ſunt: Agaricus *fritillarius* SCHAEF. 89. *velleus* SCH. 84. *luxurians* SCH. 260. *ſpadiceus* icon propria 16. *caſtaneus* SCH. 81. *ochraceus* ic. pr. 17.

Subo

Subordo III. quorum character *ſtipes baſi vel* p. 51.
ſub pileo annulo cinctus. Quum vero aliud certe ſit, reſiduum illud a membranoſa ſubſtantia, totum fungum ante eruptionem oui ad inſtar cingens, quod volua audit, aliud plane annulus a vertice ſtipitis ad marginem pilei penes alias ſpecies deductus, atque cum iſto cohaerens, diſtinxit fungos huius ſubordinis in Agaricos ſtipite baſi voluatos et ſtipite ſuperne annulatos. Ad voluatos retulit A. *incarnatum* MICH. Gen. T. 26. f. 1. *fungites* SCH. 85. 86. var. 257. *aquamarinus* SCH. 244. *fuluens* SCH. 245. *fimbriatus* SCH. 95. *dentatus* SCH. 98. Annulatae autem ſpecies ſunt: A. *vulneratus* SCH. 18. 19. *pauperatus* SCH. 96. *antiquatus* SCH. 22. 23. *pellitus* SCH. 33. *ouum* SCH. 241. *piſtillaris* MICH. G. T. 81. f. 2. *clauatus* SCH. 247. *occultatus* SCH. 74. *modeſtus* MICH. T. 75. f. 1. 3. *laceratus* SCH. 242. Volua radicali et annulo ſtipitis praeſente, Agar. *cyprinus* SCHAEF. 258. *aureus* MICH. T. 77. f. 1. *Mappa* SCH. 20. *margaritiferus* SCH. 91. et 261. vt var. *ruderatus* SCH. 90. *ſubgracilis* MICH. T. 76. f. 3. *puella* SCH. 28. *imperialis* SCH. 27. et MICH. T. 78. f. 2.

Subordo IV. pro nota characteriſtica lamellas p. 59.
habet, maturitate diffluentes; absque tamen reſpectu ad voluam aut annulum nonnullis ſpeciebus datis: Species hic recenſitae ſunt; A. *palleſcens* SCH. 237. *ſuccineus* SCH. 6. *aqueus* SCH. 17. *tortus* SCH. 201. *digitalis* ic. propr. *radians* SCH. 100 et 216. *balanus* SCH. 66. *plicatus* SCH. 67. (nequaquam 78) *chamaeleo* SCH. 46. 47. *mitella* (an potius *mitrella*?) SCH. 7. 8. *ſtellatus* MICH. T. 79. f. 6. *ſubulatus* MICH. T. 80. f. 2. *roſtratus* MICH. T. 80. f. 5.

Subordo V. *clypeatos*, i. e. ſubdiaphanos com- p. 65.
prehendit fungos, quorum ſubſtantia et figura varia; lamellae rariores nec in atramentum defluentes.

tes. Subdiuiſio *a.* pileo ſtriato, ſubcorneo, ſubi-
tente; lamellis ſubconcoloribus. A. *ſulphuratus* sch.
31. *aduſtus* sch. 32. *piloſus* ic. pr. 2. *tintinabu-*
ic. pr. 3. *variabilis* sch. 43. *criſpus* sch. 52. *cinc-*
mich. T. 79. f. 7. β. pileo conico, opaco, lamel-
lis colore diuerſo. *ſtriatus* sch. 211. *carbonarius*
ic. propr. sch. 202. var. 210. *furnus* sch. 70. va-
229. *fuliginarius* ic. pr. 40. *aethiops* sch. 250. *in-*
catus sch. 253. Sed vterque horum vltimorum
nequaquam ſpecie ab inuicem diſtare videntur. γ.
p. 69. pileo conuexo, integriore membranaceo, opaco.
Fibrilloſus sch. 59 et 236. *crenulatus* sch. 216.
ſubcoriaceus schaef. 203. *aſperſus* sch. 234. *ni-*
niatus sch. 222. *angulatus* mich. T. 74. f. 4. *obli-*
tis sch. 99 et ic. propria 10. quae vero a Schaef-
feriana perquam abludit. *pineti* sch. 239. β. ic.
pr. 9. *campanella* sch. 230. *flauens* sch. 45. *caryo-*
phyllatus sch. 77. *niueo-flauus* sch. 51. cui annu-
lus; *lacrimalis* ic. propr. 7. *auricomus* ic. pr. 21. *dea-*
batus sch. 205. *niueo-bruneus* sch. 217. *tubifor-*
mis sch. 207 et 232. *fuſcefcens* sch. 60. *prateſ-*
p. 77. sch. 220. et ic. pr. 5. δ. pileo corneo, ſubcarno-
ſo, absque nitore, niſi viſcido. *Vmbraculum* ic. pr.
4. *pluteus* sch. 10. *placenta* ic. propr. 18. *murinus*
ic. propr. 19. *Jantinus* sch. 13. et ic. propr. 20.
p. 79. ε. opaci absque nitore, pileo aſperato: *granoſus* ic.
propr. 24. *hiſpidus* ic. propria. 25. ζ. opaci abſque
nitore, pileo furfuraceo ſquamoſo: *fuliginatus* ic.
propr. 26. *atro-ſquamoſus* ic. propr. 27.

p. 81. Subordo VI. Vnctuoſi, ad tactum nimirum in
ſuperficie pilei ſuperiore ſolidioris. Subdiv. *a.* pi-
leo ſtipiteque corneo, fibroſo: *hyacinthus* schaef.
2. 26. et ic. propr. 28. quae vero vix quadrat
Schaefferianis; *chryſolithus* sch. 48. β. pileo ſtipi-
teque opaco ſaepe ſquamuloſo et maculato: *beryl-*
lus sch. 1. cum annulo: *ienenſis* ic. propr. 29. an-
nulus arachnoideus; *vnctus* sch. 35. *ſubcorneus*

schaef.

SCHAEF. 4; *carneolus* SCH. 49; *vitellinus* SCH. 79. *ruſo-liueſcens* SCH. 21 et 25. *patella* SCH. 38. *impuber* SCH. 62. *ferrugineus* SCHAEF. 37. *ſimulans* SCH. 9. *ſquarroſus* SCH. 61. ic. propr. 31. *flammans* SCH. 209 et ic. propr. 30.

Subordo VII. obliqui; quorum nimirum pileus inaequaliter ſtipiti adſidet, plerumque margine ſurſum vergente. Lamellae ſubrarae ſubinquales. Species: *floccoſus* SCH. 29. *ſubmaculatus* SCH. 225. var. eiusdem 233. *ventricoſus* SCH. 71. *ſerpentiformis* SCH. 248. 249. *atrotomentoſus* ic. propr. 32. *carneo-tomentoſus* ic. propr. 33. *pſeudo-delicioſus* SCH. 243. *meſentericus* SCH. 43. 44. var. 208, 224. p. 87.

Subord. VIII. venoſi. Huic characterem adſcripſit; pileus carnoſus, ramulis teretiuſculo elatis, venaeformibus, ramoſis ſaepe. Species: *pruinatus* ic. propr. 35. *cinereus* SCH. 165. 166. de quibus tamen vere dubitamus, an recte ad hoc genus relati. Tab. vero 275 eandem ad hanc ſpeciem citata, euidentiſſime ſpecies ſubordinis praecedentis eſt, propter floccoſitatem; *aurora* SCH. 157. et ic. propr. 36. vt varietas: *purpuraſcens* SCHAEF. 164. 276. *pſeudo-vnctuoſus* ic. propr. 37. *cantarellus* ic. propr. 34. Potius ad ſubordinem ſequentem transferenda ſpecies. p. 91.

Subordo IX. huius character; pileus lateraliter ſeſſilis abſque ſtipite. Species: *caneſcens* SCH. 213. et ic. propr. 38. *bicolor* SCH. 246. *violaceo-fuluus* ic. propr. 39. *quercinus* SCH. 57. *alneus*; — *aſſerculorum* SCH. 76. p. 95.

II. BOLETVS. Subordo I. fauoginei, qui tubos latos, forma cellularum pro charactere habent. Species: *ſuaueolens* SCH. 124. *fauus-ſubſquamoſus* SCH. 101. 102. nec non ic. propr. 41. *infundibuli-* p. 97.

formis. MICH. T. 70. f. 4. 8. 10. *arcularius* Id. ibid. f. 5. *hirſutus* Id. T. 71. f. 2.

p. 99. Subordo II. Suilli, quorum character ſecundum Auctorem; pileus carnoſus, ſtipitatus, ſtipite validò, tubi latiuſculi, alti, carnoſi. Species: *luteus* SCHAEF. 115. *voluatus* 114. annulatus potius, quam voluatus, ſecundum Auctorem; *bovinus* SCHAEF. 123. 126. *mutabilis* SCHAEF. 107. var. 105. 112. 133. 134. 135. aſt vix huius ſpeciei. *cavus* SCHAEF. 103. var. 104.

Subordo III. Millepori; adſcriptus huic character eſt; pileus ſtipitatus varius, tubi anguſtiſſimi, confertiſſimi. Species: *lacteus*, ic. propr. 42. var. SCHAEF. 111. 265. 266. MICH. T. 71. f. 1. SCHAEF. 127 – 129. *perennis* — *criſpus* SCHAEF. 121. 122. *zonatus* SCHAEF. 125. var. MICH. T. 20. f. 6. *membrana* SCHAEF. 281. var. 279. vix. *Eluela* SCHAEF. 149. *coriaceus* SCHAEF. 277. *floribundus?* SCH. 278.

p. 107. Subordo IV. Retepòrei. Character eorum: pileus ſeſſilis, acaulis; tubi punctiformes confertiſſimi. Species: *verſicolor* SCHAEF. 267 – 269. vt var. ad quas quoque cum ſigno interrogationis refert MICH. T. 66. f. 4. *ſuberoſus* SCHAEF. 136. *niteus* SCHAEF. 131. 132. var. β. SCHAEF. 109. 110. MICH. T. 61. f. 2. γ. SCHAEF. 116 – 120. MICH. t. 60. δ. SCHAEF. 270. ε. SCHAEF. 264. *igniarius* ibid. 262. var. β. id. 137. γ. 138. δ. 106. *officinalis* MICH. T. 61. f. 1.

p. 111. III. HYDNVM. Subordo I. ſtipitata: Horum character pileus dilatatus peltatus. Species: *zonatum* SCHAEF. 139. 272. *ſubſquamoſum* Id. 140. var. ic. propr. 43. *carnoſum* SCHAEF. 141. 273. *auriſcalpium* id. 143.

p. 114. Subordo II. Deformia. Character: ſtipes inverſe conicus, lateribus ſpinoſis, ſuperne truncato pileatus.

pileatus. Species: *clandeſtinus* SCHAEF. 144. 145. et ic. propr. 44. *ſuberoſus* SCHAEF. 146. 147. ic. pr. 45.

Subordo III. Lateralia. Character; pileus ſeſſilis membranaceus. Species: *occarium* MICH. T. 64. f. 3. *pectiniforme* id. ibid. f. 4. 5.

Subordo IV. Difformia. Character; pileo dilatato nullo manifeſto. Species: *hyſtricium* MICH. T. 64. f. 1. *coralloideum* id. ibid. f. 2. SCHAEF. 142.

IV. PEZIZA. Subordo I. Ceraceae. Character; p. 115.
ſuperficies externa et interna aequalis abſque pilis et puluere furfuraceo, ſeminibus minutiſſimis in cauo ſupero diſperſis. Species: *niuea* ic. propr. 56. *griſea* ic. propr. 55. *ſeminulum* — *cochleata* SCH. 148. var. β. 150. γ. 274. *auricula* SCHAEF. 155. *leporina* SCHAEF. 156. *antiquata* — *ſepulcralis* SCHAEF. 280. *diadema* MICH. T. 86. f. 18. *coronata* id. ibid. f. 2. *crucibulum* id. ibid. f. 1. *cupreſſi* id. ibid. f. 20. *hians* id. ibid. f. 6. *infundibuliformis* SCHAEF. 152. *tuba* MICH. T. 86. f. 10. *conuiualis* id. ibid. f. 14. *nutans* id. ibid. f. 12. 13. *ſulphurea* — *calyculus* MICH. T. 86. f. 5. 11. et ic. propr. 57. *ſceptrum* MICH. T. 86. f. 3.

Subordo II. Piloſae. Character; externe pilis p. 123.
ſparſis hirſutae. Species: *Ienenſis* — *ſcutellata* SCHAEF. 284. MICH. T. 86. f. 17. 19 et ic. propr. 54. (Hanc microſcopice diſquiſiuimus, eiusque ſeminula intra ſiliculas concluſa, interſperſis his filis numeroſiſſimis intra cauum fungilli, plane eodem modo ac in Lichene *carpineo* LINN. deprehendimus:) vt varietates proponit Auctor β. SCHAEF. 151. MICH. l. c. f. 4. γ. tota fuſca. *crater* SCHAEF. 167. *virginea* MICH. l. c. f. 15. *eruciformis* id. ibid. f. 16.

Subordo III. Furfuroſae. Character; ſuperfi- p. 125.
cies externa puluere denſo furfuraceo obducta.

Species: *brunnea* ic. propr. 50. SCHAEF. 158. *Schenckii* ic. propr. 52. *porphyrea* ic. propr. 53 *oliuacea* ic. propr. 51.

p. 127. Subordo IV. Lentiferae. Character; cauum vel totum, vel fundus tantum corpuſculis compreſſis refertus, ſingulis filo proprio pedicellato ſemina in ſubſtantia interna continente. Species: *cupula* MICH. T. 102. f. 4. *olla* ibid. f. 1. SCHAEF. 180. β. 181. *hirſuta* SCHAEF. 278. (verum iſte SCHAEFFERI fungus erat Boletus *floribundus* p. 107.) MICH. T. 102. f. 2. *pyxis* SCHAEF. 179.

p. 129. V. PHALLVS. Subordo I. Acaules. Species: *acaulis* SCHAEF. 153.

Subordo II. Lobati. Character; ſtipitati, pileo plicato lobato, lobis ventricoſo-coniugatis, apicibus ſubrecuruatis. Species: *brunneus* SCHAEF. 159. 160. 161. 238. (ſed vltimus numerus Agarici ſpeciem repraeſentat) *fungoides* MICH. T. 86. f. 9. *coſtatus* SCHAEF. 154. β. 162. γ. 282.

p. 131. Subordo III. Reticulati. Character; ſtipitati, pileo externe pilis diſtinctis varie connexis in ſuperficie celluloſo-reticulata. Species: *vndoſus* MICH. T. 84. f. 2. *gigas* id. ibid. f. 1. *rete* id. ibid. f. 3. *anaſtomoſis* id. t. 85. f. 3. *acuminatus* SCHAEF. 199. 298–300. MICH. T. 85. f. 1. *voluatus* SCH. 196–198. MICH. 83.

p. 133. VI. CLAVARIA. Subordo I. Clauaeformes. Character; farctae plerumque, ſimplices, indiuiſae apice ſaepe latiore, feminibus in ſuperficie cutis mollioris contiguae. Species: *piſtillaris* MICH. T. 87. f. 1. et ic. propr. 46. β SCHAEF. 169. γ. MICH. l. c. f. 3. *atropurpurea* MICH. T. 86. f. 2. ic. propr. 47. *militaris* SCHAEF. 90. (falſiſſimus numerus) *ophioglosſoides* MICH. T. 87. f. 4. var. β. id. ib. f. 5. γ. f. 7.

γ. f. 7. δ. f. 6. 9. ε. SCHAEF. 171. *pedunculata* MICH. T. 87. f. 8. *lumbricalis* id. ibid. f. 10. 11. *vermicularis* id. ibid. f. 12. 13.

Subordo II. Ramoſae. Character; corpus varie- p. 135.
diuiſum, ſubſtantia et forma priorum. Species: *Cornu-Alces* SCHAEF. 291. MICH. T. 88. f. 6. *cornu-cerui* SCHAEF. 289. *fruticuloſa* SCHAEF. 173. *faſtigiata* SCHAEF. 70. 72. 134. β. id. 75. et ic. propr. 48. γ. SCHAEF. 285. 286 cet.

Subordo III. Cruſtaceae. Character; tecta cru- p. 137.
ſta dura, fragili, perforata, foraminulis cellularum cauarum ſubcutanearum, protuberantium. Species: *digitata* MICH. T. 55. f. 2. *hypoxylon* MICH. ibid. f. 1. *Michelii* id. T. 54. f. 5.

Subordo IV. Gelatinoſae. Species: *cornea* – p. 139.
reſinoſorum MICH. T. 92. f. 1. *puccinia* id. ibid. f. 2. et ic. propr. 49.

VII. CLATHRI genus quod attinet, breuiſſimis p. 141.
ſeſe expediuit Auctor, atque ſub carnoſis vnicam tantum ſpeciem, *cancellatum* nimirum MICH. T. 93. habet, atque inter ſiccos *adnatum* MICH. 94. *pedunculatum* Tab. eadem et *clathroidaſtrum* eiusdem ibid. enumerat. Deſiderantur igitur hic plane elegantiſſimae illae SCHMIDELII duae ſpecies, reticulo perſiſtente et deciduo.

VIII. LYCOPERDON. Subordo I. Subterranea, p. 143.
Quibus adnumerat *ceruinum* MICHEL T. 49. f. 4. et *Tuber* MICH. 102.

Subordo II. *Incraſſata*, quod Auctori eſt, *ſupra terram naſcentia*, pedunculo nullo vel craſſiore; volva nulla, (ſolummodo recte, ſi non manifeſtam ſubintelligit.) Species: *Echinus* MICH. T. 92. f. 5. *muricatum* SCHAEF. 184. *circumſciſſum* SCH. 186. β. 191. γ. 189. δ. 190. *ſtellatum* MICH. T. 97. f. 3.

lacerum SCHAEF. 292. 294. *furfuraceum* MICH. T. 97. f. 6. *hirtum* id. ibid. f. 4. *cepaeforme* id. T. 99. f. 1. *polyrrhizon* id. ibid. f. 2. *pyriforme* SCHAEF. 187. *diſpar* SCH. 188. *gemmatum* MICH. 97. f. 1. *lanatum* id. ibid. f. 2. *capitatum* id. ib. f. 1. *admorſum* SCH. 187. *boletiforme* SCHAEF. 292. 295.

p. 149. Subordo III. *Pedunculata.* Species: *pedunculatum* Inſtit. Rei Herb. T. 331. E. *palmiforme* MICH. T. 97. f. 7.

Subordo IV. *ſtellata.* Character; volua radicalis multifido dehiſcens. Species: *radiatum* SCHAEF. 182. MICH. T. 100. f. 4. 6. *geaſter* MICH. t. 100. f. 1. *corallinum* id. ibid. f. 3. *multifidum* id. ibid. f. 5. *pedicellatum* ibid. f. 2. *feneſtratum* SCHAEF. 183. *carpobolus* MICH. 101.

p. 153. Subordo V. *Seſſilia.* Character; ſtipite orbata, paraſitica vel putredini innaſcentia; vix ore, ſed lateribus diffractis ſemen emittentia. Species: *bombacinum* – *pineum* – *corticale* – *chalybeum* SCHAEF. 193. 195. *luteum* ibid. 192. *verrucoſum* – *cinereum* –

IX. MVCOR, cuius ſpecies ſunt, *mucedo* e LEDERMÜLLERI microſcopicis, *ſphaerocephalus* autem, *furfuraceus ater* et *glaucus* e propria obſervatione.

Ex his patet, quantum laboris conſumſerit indefeſſus Auctor in conquiſitione, atque facilitatione indicationis ſpecierum per addita triuialia. Quod in taedii plenam illam incertamue caterua ſynonymorum ſeſe non immergeret, nulli mirmur; fatemur tamen, perquam optabile fuiſſe, ſi praeſtantiores quosdam botanicos, qui diſtincte ſatis de iis ſpeciebus dixere, quas in ſcenam produxerat, non ſicco plane pede tranſiiſſet, quin vel digito tantum certioribus in locis LINNEVM, HALLERVM,

LERVM, GLEDITSCHIVM, et diſertiſſimum perſpicaciſſimumque SCHMIEDELIVM indicaſſet. Ex altera parte lubentes fatemur intimum deſiderium, vt Auctor lucentiorem facem tenebris illis penes dignotionem fungorum incendiſſet in momento diuidendi hanc vegetabilem tribum in ſua genera, vnde ad minimum improportionata nimisque vaſta illa Agaricorum Boletorumque, clariorem, et perſpicacitati, imo ipſius naturae, aptiorem lucem erant indeptura. Sed veniet forſan etiam iſta dies.

VIII.

Philoſophical Tranſactions of the royal Society of London, Vol. LXVIII. for the Year 1778. Part. I. II. 1779. 4. pagg. 1099. c. ind. et Vol. LXIX. for the Year 1779. Part. I. 1779. Part. II. 1780. pagg. 696. cum ind. 4. London, printed by J. Nichols, for Lockyer Davis.

i. e.

Acta Societatis regiae Londinenſis Vol. LXVIII. et LXIX. ad ann. 1778. et 1779.

Pergimus in ſeligendis breuiterque enarrandis obſeruationibus, quae in his voluminibus Actorum Londinenſium ad noſtri operis cenſum pertinere viſae ſunt.

I. WILH. HAMILTON ad JOH. PRINGLE epiſtola, *de montium ignuomorum veſtigiis, in vadis Rheni fluuii repertis.* Eſt prope Confluentiam (*Coblenz*) in aduerſa Rheni ripa, pagus quidam, quem *Unkel* accolae vocant, lapicidina baſaltis admodum nobilis. Columnae baſalticae pentagonae et hexagonae, quibus mons totus conſtat, ſupinae plerumque iacent, aliae ſtant erectae; ſunt deni- Vol. LXVIII. Pars I. p. 1.

que etiam, quae obliquae Rheno imminent. Ipſi fluminis alueus magnum columnarum numerum habet, quae inde verſus montem ad 100 pedum altitudinem exſurgunt. Ex his minimae ſex pollicum, maximae vnius et dimidii pedis latitudinem habent. Coloniae Agrippinae, Bonnae et Confluentiae portarum ſublimenta, terminique ex hoc lapide fiunt, viaeque publicae per vrbes eodem et loca muniuntur, aedes autem tum priuatae, tum publicae, ex lapide ſcoriaceo, Piperino vel Tuffae Italorum ſimili, conſtruuntur. Eadem regio ſeptem habet montes, olim, quod craterum reliquiae conicaque forma arguunt, igniuomos, laua, lapideque ſcoriaceo plenos. Andernaci prope Rhenum magna vis huius lapidis Belgis venditur, qui illum molendo in caementum puteolano puluери ſimile convertunt.

p. 7. 2. IOH. HUNTERI *diſſertatio de calore animalium et vegetabilium.* Variis experimentis conſtitit, calorem conſuetum partium animalium vitorum, frigidis corporibus applicatis imminui poſſe, et a calidis corporibus augeri, reſiſtere vero has partes tum calori, tum frigori, ad certum quendam gradum auctо, donec vis vitae eidem ſuccumbat: in illis porro animalibus, quae frigidum ſanguinem habere vulgo dicuntur, calorem mutari non eadem proportione, qua fluidum calet, in quo viuere poſſunt, ſed ad eum tantum vſque frigoris gradum, quo partes enecantur: tunc enim vim caloris genitricem ſeſe exſerere, donec vita animal deliquit, qua ceſſante animal quemuis frigoris gradum aſſumit. Vegetabilibus etiam quaedam vis inesse videtur, quae frigori reſiſtat; thermometrum enim arbori immiſſum per foramen terebra factum, calorem ſemper indicabat, paucis gradibus maiorem eo, quem aër ambiens habebat, et ſuccus, qui ex arbore

arbore vulnerata emiſſus 31mo gradu Fahrenh. congelabatur, intra arborem non vltra 17° calentem fluidus permanebat.

4. *Noua Strabiſmi ſpecies, deſcripta ab* ERASMO DARWIN, M. D. Puer hoc vitio laborans obiecta ſingula alterutro tantum oculo, et quidem, quae a latere dextrò oblata eſſent, ſiniſtro, ſiniſtra dextro oculo intuebatur; oculum eius lateris, quo res viſui obiecta erat, ita inclinabat, vt imago rei in eam fundi oculi partem, qua intrat neruus opticus, caderet. Obiecta, quae coram ipſo erant, capite ad latus flexo, alterutro oculo, qui ab obiecto remotior eſſet, luſtrabat, alterum oculum viciſſim eo defixurus, cum inſpiciendo forte defatigatus eſſet. Litteras chartae fragmentis inſcriptas, et vtrique oculo ex aduerſo oblatas, ſimul ambobus oculis legebat. Par erat pupillae in vtroque oculo vis contractilis. — Videbatur hoc vitium aliquantum corrigi gnomone chartaceo naſo impoſito et ſupra illum prominente, quem oculi ſimul intueri ſenſim adſueſcebant. Ex his, qui limi ſunt, plurimi alterutrum oculum debiliorem habent; hinc Auctor his fortiorem oculum per aliquot dies linteo tegere ſuadet, vt debilior exercitio ſenſim acutior euadat. — Hoc caeterum ſingulare erat, quod cum ex punctis duobus in eadem linea parieti inſcriptis, et octo pollicum ſpatio a ſe inuicem diſtantibus, alii homines recta intento alterutro oculo illa intuentes, ad 26 pollicum diſtantiam vtrumque punctum diſcerneret, puero illi limo alterutrum punctum diſpareret, cum 13 tantum pollicum longitudine a pariete receſſiſſet: ex qua quidem obſeruatione hoc fluere noſtro videtur, fuiſſe huic puero partem inſenſilem in nerui optici centro, duplo maiorem quam aliis hominibus, ipſumque neruum opticum quo loco in oculum intrat, cum illo angulum conſueto duplo maiorem effeciſſe. Inſenſile oculi p. 86.

ſpatium non a choroideae membranae circa nervum opticum defectu neque ab arteria centrali ſed a filamento quodam circa nerui optici medium partem in corpus vitreum porrecto oriri aſſerit.

p. 97. 5. MILES PARTINGTON *obſeruatio de ſpaſmo per electricitatem ſanato.* Muſculus ſternomaſtoideus ſumma cum rigiditate ita contractus erat, vt facies verſus alterum latus oblique conuerſa eſſet. Febris ſimul aderat veſpertina, ſed exigua, paralyſis momentanea per interualla, pulſus debilis et irregularis. Malum a refrigerio duxerat originem, et electricitate poſitiua, ſudores abundantes proliciente, ſanabatur.

p. 102. 6. ANDERSON *de lapide ingentis magnitudinis prope bonae ſpei promontorium reperto.* Granites erat, in ea regione alias nuſquam in montibus aut terrae ſtratis occurrens; mole inſigni, quam dimidiae horae ſpatio vix ambire potuiſſes. Adiecta eſt breuis GUIL. HAMILTON epiſtola, qui hunc lapidem ſolitarium vi montis cuiusdam ignitorum in planitiem proiectum fuiſſe exiſtimat.

p. 107. 7. NATHAN. POLHILL *de illa apum culturae augendi et promouendi ratione, quam* DEBRAWIUS *in Act. S. R. Lond. Vol. LXVII. propoſuit* *). Confirmantur DEBRAWII inuenta.

p. 111. 8. DAV. MACBRIDE *noua pelles ſubigendi methodus.* Infuſum corticis quercus, quo cerdones ad ſubigendas et confirmandas pelles vitulinas aliasque vtuntur, cum aqua calcis praeparare iubet; coria ſpiſſiora autem, ex quibus ſoleae fiunt, (*ſole leather*) non, qui mos vulgaris eſt, aqua, cui ſit acorem vſque hordeum vel ſecale intabuit, ſed acido vitrioli multa aqua diluto maceranda eſſe praecipit, antequam infuſo corticum quercus cum aqua calcis parato committatur.

9. I. HAR-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 580.

9. J. HAYGARTH *de incolarum vrbis* Cheſter p. 131.
numero et morbis per annum 1774 obſeruatis. Oppidum hoc eſt in ſaluberrima regione ſitum; incolas habet 14713. Ex plurium annorum computo, qui tabulis illuſtratus exhibetur, in tota vrbe quotannis vnum ex 40 et in medio vrbis vnum ex 58 mori conſtat, quod profecto vnicum et rariſſimum ſalubritatis eſt exemplum. Anno 1774 plurimi ex febre, variolis, tabe, nervorum diſtentione et ſenectute decrepita mortui erant. Plurimae mortes autumno, pauciſſimae verno tempore numerabantur.

10. GULIELM. SWIFT *de nonnullis experimentis electricis.* p. 155.
Fulmen artificiale ab aqua nubium vices gerente, in domunculas puluere pyrio plenas demiſſum eas accendit, quarum conductores in globulos deſinebant, illis vero pepercit, quae conductoribus acuminatis munitae eſſent, vnde conductorum acutorum in deriuando fulmine prae rotundatis praeſtantia manifeſto apparuit.

11. CAR. MILLER *deſcriptio inſulae Sumatrae.* p. 160.
Calor in hac inſula, vt ſub auſtrali coelo, et in aequatoris vicinia, mediocris eſt, eteſiis a mare flantibus attemperatus. Pluuiae crebrae cum tonitru plerumque; frequentes terrae motus: nec montes igniuomi deſunt, quorum vnus continuum vaporem, et, concuſſa terra, flammas quoque eructat. Oram maritimam Europaei et Malaii tenent, interiora populi barbari liberique, Malaiis, lingua, ſcriptura moribusque diſſimiles, inhabitant. Montium incolis frequens ſtruma morbus eſt. Ex his populis aliqui ſunt, qui hoſtium inſidiis deceptorum, ſontiumque hominum ſupplicio affectorum carnibus veſcuntur; caeteroquin erga peregrinos hoſpitales et manſueti. Mortuos nobiles (nam apud hos quoque populos ſeruorum et ingenuorum

quae-

quaedam ſunt diſcrimina) arcis ligneis incluſos in ſupremo tuguriorum culmine collocant, foetorem cadaueris per fiſtulas ab arcis in terram ſubducentes. Ferax haec regio eſt caſſiae, camphorae et benzoës. Ex camphorae ligno tigna paliquae pro domibus conſtruendis ab indigenis caeduntur. Animalia, quae ibi habitant, ſunt: Simia longimana et Satyrus L. Tigrides, (in quorum corpora parentum manes migrare vulgus opinatur) Pardus, Elephas, Rhinoceros, Alces, (de quo, cum boreali coelum tantum ferat, vehementer dubitamus) Ceruus Dama, Bos Bubalis, muſtelae ſpecies duae, Hyſtrix et Erinaceus. Conchae in lapidem conuerſae rariſſime ibi occurrunt. Eſt prope Sumatram, *Euganho* inſula, Europaeis hactenus ſere ignota, quam tenent barbari rudesque populi, ferrum et metalla ignorantes, ex piſcatu, ſaccharo, coco, et Dioſcoreae radicibus victum quaerentes. Cum nauis, ab hac inſula redux, in itinere ſubmerſa fuiſſet, Noſter, quae ibi repoſuerat, corpora naturalia, in inſula Euganho collecta, perdidit; hinc nonniſi mancam deſcriptionem ſui itineris dare potuit. Adiecit nonnulla de corallio quodam, Malaiis *lalan-lout*, h. e. *gramen marinum*, dicto. Creſcit in arenoſis vadis maritimis, ſtipiti erecto ſimilis; digitos tangentes fugit, et in arenam ſeſe abſcondit. Tentacula Auctor reperire non potuit. — Coccos marina vulgo dicta, quam maris incolam eſſe hactenus plurimi exiſtimarunt, fructus eſt palmae cuiusdam foliis flabelliformibus inſtructae, quae in inſulis Mahi, Gallis *les Iles des echelles* dictis, non procul a Madagaſcaria, copioſe creſcit.

p. 194. 14. W. WHITE *experimenta phyſica aëris naturam variasque illi a variis effluuiis contingentes mutationes illuſtrantia.* Eboraci illa inſtituebantur de conſilio, vt aëris communis in illa vrbe ſalubritas deter-

determinaretur. Nitroſi aëris adminiculo id fiebat, et zephyro flante aërem in vrbe puriſſimum, euro autem ſpirante magis inſalubrem eſſe, hoc ſcrutinio apparebat. Intra moenia minus, quam extra vrbem, purus erat. Conquaſſatione cum aqua deterior reddebatur, ille vero aër, quem acidum nitroſum ex cineribus ſtanni (*glaziers putty*) expulerat, eodem artificio purior euadebat. Aër cubiculi, in quo noctem quis tranſegerat, nec non ille, qui reſpirationi per diutiſſimum tempus inſervierat, inſignem puritatis iacturam fecerat. Caro in aëre communi per 24 horas ſuſpenſa illum manifeſto corrumpebat, nec tamen odore inficiebat. Latrinarum aër atmoſphaerico vix erat impurior; quod quidem experimentum cum Pringlianis omnino congruit. Plantarum flores, folia fructusque aërem noxium reddunt. (Scilicet ea, quae diſquirebat, folia, a lucis acceſſu remouiſſe, et non modo experimenta Cl. INGENHOUSZ aërem puriſſimum ex plantarum foliis ſolis beneficio prolici demonſtrantia, verum et Prieſtleyana experimenta, et quae de his iam anno 1773 Cl. PRINGLE ad ſocietatem regiam retulerat, Auctor ignoraſſe videtur.) Puris ſiccisque odoribus, camphora v. c. moſcho cet. aër vix tantillum corrumpitur. Paludum et aquarum ſtagnantium putrilagine aër peſtilens euadit; noxam nullam patitur a luto multa aqua tecto, neque ab arena, humo vel calce.

14. THOM. HENRY *de terrae motu d.* 14 *Sept.* 1777 *in vrbe Mancheſter aliisque locis vicinis obſervato.* Hunc terrae motum ſtrepitus ingens comitabatur, in illis potiſſimum domibus, quae fulguris conductoribus munitae eſſent. Nonnulli ictu quaſi electrico percutiebantur; alii nonnullis poſt terrae motum diebus neruorum dolores aut vterorum ſuffocationes experiebantur. p. 221.

15. *Diſſer-*

p. 232. 15. *Diſſertationes et reſponſa ſocietatis regiae ad conſtructionem abductorum fulguris ſpectantia.* In loco Purfleet pulueris pyrii promtuarium fulgure tactum fuerat, abſque incendio, licet conductore acuminato munitum erat. Cum huius rei causa ſocietatis regiae conſilium poſceretur, Cl. WILSON vaſtiſſimo inſtrumentorum et experimentorum apparatu, quem hoc loco repetere taedioſum foret, praeſtantiam conductorum, qui globoſos fines habent, et acutorum noxam demonſtratum iuit. Reliqui autem ſocietatis delegati, illius experimentis nequicquam curatis, acutos tuiti ſunt, ita vt eos laminis plumbeis per vniuerſas domus, tum inter ſe, tum cum ſolo coniungendos eſſe doceant.

p. 419. 20. I. A. DE LUC *diſſertatio de pyrometro et areometro a ſe inuentis, nec non de menſuris phyſicis in vniuerſum.* Inſtrumenta iſta ſine figuris vix poſſent lectoribus deſcribi. Multa caeterum docte pariter ac ſubtiliter monuit Auctor de dimenſionum phyſicarum, quales vulgo inſtitui ſolent, fallacia, quae ex effectuum variorum et ſimultaneorum eiusdem cauſae confuſione naſci ſolet.

P. II. 26. FRANC. MASSON *deſcriptio inſulae Sti Mi-*
p. 601. *chaëlis.* Ex Azoricarum numero eſt, fertilis admodum, et pro mediocri magnitudine populoſa. Omne inſulae ſolum natiuum pumex eſt et cinis; montiumque caua cacumina antiqua teſtantur incendia. Thermarum ingens eſt abundantia; ex his nonnullae ſunt, quae maximo cum ſtrepitu vaporisque ſulphurei perpetuo turbine calidiſſimam aquam, luto, ſulphure et alumine foetam ad inſignem altitudinem proiiciunt. Artubus reſolutis et podagrae has thermas feliciter mederi fama eſt. Alius fons eſt calidiſſimus, ex quo torrens ſcaturit, aliis ſenſim thermis increſcens, vndasque feruidas mari miſcens.

27. I.

27. I. SCOTT *epiſtola de viſus ſingulari quodam vitio.* p. 611.
Auctor neque ad diſtinguendas rerum formas ineptus eſt, neque alia oculorum labe affectus, niſi quod virides colores omnino ignoret, nec a rubris diſcernere poſſit, licet flauos pariter ac coeruleos, ſolo eo, qui coeli colorem imitatur, item fuſco (caryophylli) colore excepto, bene diſtinguat. Rufum (*claret-colour'd*) pro aterrimo habet. Caeterum ſuae genti hoc viſus vitium familiare quaſi eſt et domeſticum, ita tamen, vt non omnibus nec alterutri tantum ſexui adhaereat.

29. MATTH. GUTHRIE *de Ruſſorum regimine antiſeptico.* p. 622.
Cum tot tantaeque ſint ſcorbuti et putredinis opportunitates, inter quas ruſtici Moſcovitici, ob carnium ſalitarum eſum, et cubiculorum immunditiem atque inſignem calorem quotidie verſantur, contra illas omnes natura duce ſeſe tuentur braſſica ſalita et fermentata (*Sauerkraut*), aqua cum farina ſecalina (addito etiam ſubinde malto) ad acorem vſque fermentata, (*quaſs* ſ. *Kisla ſſchi* incolis dicitur) pane nigro fermentato, cucumere ſalito, et balneis, quibus omnibus continuo vtuntur.

31. CAR. DE MERTENS *commentatio de ſcorbuto.* p. 661.
Plurima, quae ex antecedente tractatione deſcripſimus, hic quoque occurrunt; etenim per longum tempus Cl. MERTENS medicinam in Ruſſia exercuit. Scorbutum victu vegetabili et potu *Quas*, vlcera gangraenoſa cortice Peruuiano curauit.

34. W. WATSON *deſcriptio ſquali glauci* LINN. p. 789.
Spinas ternas ſupra infraque caudam habet; nulla pone oculos ſpiracula, membranas albas palpebrarum loco ſurſum mobiles ſub integumentis communibus aperto oculo latentes. Quinque dentium triangularium in margine ſeruatorum ordines; corpus coeruleum in dorſo profundiore in lateribus pallido

pallido colore tinctum; venter albus, pinnae omnes ex lurido coeruleae, ſaccus albus in faucibus ore deorſum moto propendens. Squali deſcripti longitudo erat 6 pedum cum octo vnciis, pinnae pectoralis longitudo vnius pedis cum quatuor vnciis. Adiecta eſt animalis figura.

p. 791. 35. TH. BROWN *deſcriptio Exocoeti volitantis.* Oculi in anteriori lati capitis parte, capſis extrorſum mobilibus infixi, nudi. Cutis craſſa ſquamis latis durisque tecta. Pinnarum pectoralium radii tenuiſſima membrana plicata inter ſe connexi, ad branchias in curuam ſolidamque lineam confluunt, crenamque in eo loco habent, quae oſſis, ſcapulae vices gerentis, protuberantiam quandam ſeu ſpinam in ſe recipit. Ab antica et ſuprema parte ſcapulae muſculi prodeunt altero fine in radios pinnae maximum deſinentes, quorum vſus eſt, pinnam alae modo tollere et expandere. Hos alii minores adiuuant, externae, internae et inferiori ſcapulae faciei adhaerentes, quorum vberiorem deſcriptionem, harum rerum curioſos in ipſa Noſtri diſſertatione legere oportet. — Oculi tunica cornea non ita pellucida eſt, vt in reliquo piſcium genere, flaccida caeterum et nonnihil depreſſa. Nerui optici vix decuſſare ſeſe videntur, nec in centris oculorum, ſed ab axis latere in bulbos immittuntur. Nihil, quod ventriculo ſit ſimile, in hoc piſce deprehenditur, ſed continuum inteſtinum a faucibus ad anum exporrectum. Ante anum cordis eſt ſtatio, pone illum hepar cum veſicula fellea, et ad huius latera, ouaria ſita ſunt. Haud procul a corde ab vtroque latere caro quaedam eſt cinerea, pulmoni auium ſimilis, in dorſi cauo ad anum vſque excurrens. Abdominis duae tertiae fere partes aëre ſunt repletae. Piſces iſti ſub volatu, crebro identidem in aquam ſeſe immergunt, non vt

pinnas

pinnas humectent, ſed ſpirandi neceſſitate coacti. Alis caudisque expanſis celerrime, hirundinum modo, ad 60 vſque cubitorum longitudinem, continuo et cateruatim plerumque volitant, alarumque beneficio domeſticorum hoſtium, natatu vero et ſubmerſione auium inſidias eludunt.

37. EDUARDI NAIRNE *experimenta electrica, quibus eos fulminis conductores, qui in altos acutosque apices definunt, optimos tutiſſimosque eſſe demonſtratur.* Ex his electricam materiem a globis ſimul edito fulguris ictu attrahi, ab acutis vero conductoribus non attrahi, ſed ſine ſtrepitu et placide derivari apparet. p. 823.

36*). MUSGRAVE *obſeruationes, quibus conductorum fulguris globis terminatorum praeſtantia contra iudicium a ſocietatis regiae delegatis latum et* NAIRNII *experimenta aſſeritur.* Apices acutos electricam materiem ſenſim ſubtrahere, *dum illa accumulatur; accumulatam* vero ſubito et cum exploſione attrahere, hinc ab illis fulguris quidem diſperſam adhuc debilemque materiam ſenſim abſumi, collectam vero cum periculo abduci. p. 801.

38. BRYANT HIGGINS *commentatio de Amalgamate Zinci ad experimenta electrica valde idoneo.* Paratur hoc amalgama, quo puluilli adducendo electro deſtinati inunguntur, ex vna zinci et quatuor hydrargyri partibus. Cylindri machinarum electricarum, ſi quando puluere ſordeſcunt, nulla alia re melius, quam phocae pellibus, mundari poſſunt. p. 861.

39. MICK.

*) Typographi errore iſta diſſertatio Nairnianam praecedit, quam, vt reſponſio, ſequi deberet.

p. 863. 39. MICH. WATSON *experimenta chemica cum Galena plumbi inſtituta.* Minera iſta, vehementi igne toſta, non modo ſulphur, ſed plumbi quoque non exiguum pondus, quod in auras auolat, amittit. Plumbi fuſores in Anglia id plumbum ſublimatione deperditum, perinde ac ſulphur negligunt, cum tamen ex vtroque multum lucrari poſſent, ſi, quod WATSONI eſt conſilium, tuborum et camerarum ſubſtructionibus vapores colligerent. Plumbum ſub ipſa fuſione pellicula verſicolore vulgo obduci notum eſt. Quos colores, cum in illo plumbo Chinenſium, ex quo thecae foliorum Theae parantur, Noſter haud obſeruaſſet, aliquid adeſſe ſulphuris catus eſt, quod virtutem colorum productricem plumbo demeret, idque poſt varia tentamina ſimplicissimum eſſe inuenit, cuius minima particula 5000 partes plumbi coloribus ſuis exuit. Zinco etiam haec vis colores plumbi delendi, ſed paulo minor, ineſt, nulla omnino argento et bismutho.

p. 884. 40. CAROLI, *Vicecomitis de* MAHON *noua aedium incendia auerruncandi methodus.* In eo potiſſimum noua haec methodus conſiſtit, quod omnia, quae ex ligno in domibus fieri debent, caemento ex ſabuli rudioris parte vna, calcis extinctae partibus duabus, foeni conciſi partibus tribus et aquae ſufficiente quantitate parato operiantur.

p. 999. 44. BENJ. WILSON *experimenta noua cum Leydenſi phiala inſtituta et ad modum conductores terminandi ſpectantia.* Globoſos conductorum fines tueri pergit.

p. 1022. 47. IOH. INGENHOUSZ *noua candelam exigua ſcintilla electrica accendendi methodus.* Acus metallica, cui goſſypii floccus, reſina conſperſus, affixus eſt, ad globoſum conductorem phialae Leydenſis admouetur, ſic ſcintilla prolicita floccus accenſus flammam candelae praebet.

48. EIVS.

48. EIVSDEM *experimenta electrica, quibus Franklini doctrina de electricitate positiua et negatiua phaenomenis per electrophorum productis accommodantur.* — Demonstratur, electricitates contrarias semper in electrophoro excitari: negatiuam in disci metallici facie inferiore, positiuam in superiori, si resina subiecta electricitatem positiuam habeat; positiuam in disci metallici facie inferiori, et negatiuam in superiori, si resina aliquam electri sui partem perdiderit, i. e. negatiue electrica fuerit; idque contingere ob materiei electricae vim repellentem, qua in contraria semper latera ruat. Idem fieri in discis vitreis, metallicis laminis vtrinque vestitis, vbi positiua electricitas per ipsum vitrum ab illa lamina, quae electrum abundantius suscepit, in oppositam laminam migret, ita tamen, vt vitrum statim accumulatam in se electricitatem iterum perdat, vel demtam recuperet. p. 1027.

49. WILL. HENLY *obseruationes et tentamina, quibus* INGENHOUSZII *experimenta cum electrophoro instituta confirmantur.* Vitrum non penetrari ab electrica vt a magnetica virtute, sed illam tantum in eo accumulari, donec aequilibrium restituatur. p. 1049.

Mathematicarum dissertationum in hoc volumine contentarum indicem subiicimus: 3. CAR. RUTTON *experimenta, quibus accensi pulueris vis, globorum e tormentis missorum primitiua velocitas, et iisdem ad massae proiectae pulueriseque pyrii pondus ratio demonstratur.* p. 50. 12. WILH. ROXBURGH *dia-rium meteorologicum in Castro Sti Georgii Indiae Orientalis descriptum.* p. 180. 16. IOH. PLAYFAIR *de computo impossibilium.* p. 318. 17. IS. MILNER *de motus propagatione ab impulsu et pondere profecta.* p. 344. 18. EIVSD. *obseruationes de algebraicarum aequationum limitibus.* p. 380.

p. 389. *bus.* 19. ALEX. DALRYMPLE *ephemerides itineris*
p. 554. *anno* 1775 *in Indiam orientalem instituti.* 21. TH. PARKER *ephemerides barometricae, thermometricae et ombrometricae Lyndoni in Rutlandia collectae.*
p. 557. 22. BARR *diarium meteorologicum Montisrealensi.*
p. 562. 23. *Observationes meteorologicae Hawkhilli prope*
p. 567. *Edinburgum factae* a IOH. M'GOUAN. 24. SAM. FARR *diarium meteorologicum Bristolense anni* 1777.
p. 573. 25. *Societatis regiae observationes meteorologicae.*
p. 615. 28. *Baptismorum, matrimoniorum funerumque in paroecia Blandford Forum catalogus per* 40 *annos*
p. 637. *continuatus a* RICH. PULTENEY. 30. NATHAN. PIGOTT *observationes astronomicae in Belgio austriaco per annos* 1773, 1774, 1775 *institutae.*
p. 681. 32. GEO. SHUKBURGH *methodi suae, qua barometri ope altitudines dimetitur, cum illa, quam* ROYDEN
p. 689. *proposuit, comparatio.* 33. CAR. HUTTON *de me-*
p. 895. *dia telluris densitate.* 41. FRANC. MASERES *computus seriei infinitae tarde conuergentis* $x+\frac{x^2}{2}+\frac{x^3}{3}+\frac{x^4}{4}+\frac{x^5}{5}+$ etc. *si* x *propemodum aequale est* 1.
p. 902. 42. EIVSD. *regula Cardani de resolutione aequationis cubicae:* $x^3 * -9x = \sqrt{}$. *ad aliud eiusdem aequationis*
p. 950. *exemplum applicatio.* 43. LE CERF *de machina quae-*
p. 1013. *dam nuper inuenta.* 45. W. WALES *de solis defectu*
p. 1019. *d.* 24 *iun.* 1778 *observato.* 46. LUDLAM *eiusdem*
p. 1051. *eclipseos observatio Leicestriae instituta.* 50. RICH. PICKERSGILL *diarium astronomico-nauticum itineris anno* 1776 *ab Anglia in fretum Dauisii et terram Labrador instituti.*

Vol. LXIX. Pars I. p. 1.

Sequuntur Dissertationes Voluminis sexagesimi noni Parti primae insertae insertae.

I. ANT. POTHERGILL, M. D. ad GVLIELMVM HENLY, epistola *de Chorea S. Viti electricitate*

tis praesidio persanata. Morbus intra vnius mensis spatium electricitate positiua tollebatur, postquam aegrota, decem annorum puella, conuulsionibus multum diuque excruciata, sensibusque, memoria et loquela iamiam priuata, omnem fere remediorum antispasmodicorum familiam, balnea ipsa et flores zinci incassum tentauerat. Sub ipso electricitatis vsu perspiratio augebatur, et impetigo brevi disparens in vniuerso corpore efflorescebat.

2. DAN. ORRED *obseruatio de capite ossis humeri, saluis brachii motibus, serra ablato**). Vir quadragenarius ob nimiam potationem prauos humores alens, scala delapsus humerum collisserat. Vlcus inde nascebatur et caries, quae totum ossis articulum, et in pede quoque metatarsi ossa infestabat. Chirurgus, carnibus a supremo inde articuli loco vsque ad infimum deltoidis musculi finem incisis, et circumsecta capsula articulari, humerum e cauitate ob inflammatae capsulae firmiorem adhaesionem paulo aegrius dimotum serra amputabat. In vulneris deligatione semper, vt ea brachio parumper inflexo simulque pendente fieret, curabatur. Hinc factum est, vt post tres menses cicatrix tantum non vulnus clauderet, aegrotusque, licet callus nondum in reliqui ossis crassitiem increuisset, nec ossea duritiem indeptus esset, humerum nonnihil mouere et adducere, brachium vero libere omnino mouere posset. Pedem incidi aegrotus recusauit. — Alius, cui haud exigua vlnae pars ob cariem in ima ossis parte, qua carpo nectitur, ablata fuerat, ita postmodum conualuit, vt brachio ad rustica opera vti posset. p. 6.

*) Cf. Philos. Transact. Vol. LIX. art. 6. it. comm. nostr. Vol. XVIII. p. 644.

p. 11. 3. PETRI WOULFE *experimenta cum quibusdam lapidibus inſtituta.* Quam ſaepe aegre tulimus apud Gallicos inprimis Anglicosque ſcriptores nominum mineralogicorum vagam et inconcinnam confuſionem, eam in hac quoque tractatione deprehendimus. Scilicet ex cryſtalli, quam chemica arte explorauit Cl. WOULFIUS, nomine, coniicimus, de cryſtallo montana illum agere, donec e reniformi cryſtalli ipſi dictae figura, et partium conſtituentium, quas inde obtinuit, natura doceremur, illum alium omnino lapidem examini ſubiiciſſe. Etenim ex tribus cryſtalli huius drachmis cum ſale tartari calcinatis aceto vini affuſo, ʒj et gr. vj tartari vitriolati, et reliqua terrae ſolubilis parte ſpiritus nitri ope ſeparata, reſidui acido haud ſolubilis ʒj et gr. xv. obtinuerat. Hinc duas tertias cryſtalli partes in ſpatum ſeleniticum mutatas fuiſſe contendit; nos vero Auctorem ſpatum ponderoſum, aut forte fluorem mineralem, quem pro cryſtallo habuit, diſquiſiuiſſe arbitramur. Addidit experimenta cum variis gypſi, ſelenitis, ſpati ponderoſi et cretae ſpeciebus inſtituta, quibus cum ſale lixiuo toſtis, ſemper acidum vitriolicum, tale tartaro vitriolato inde obtento, inhaerere, plus tamen acidi vitriolici in gypſo ſolido, quam in ſelenite, reperiri apparuit. — De corporibus mineralibus terram aluminis continentibus; quo inprimis pertinet argilla pura, ex qua fiſtulae tabacariae parantur. Hanc acido vitriolico imbutam eſſe BERGMEUS falſo perhibuit; Noſter enim ex argilla ita cum ſale lixiuo toſta nunquam tartarum vitriolatum obtinuit. Caeterum liquore alcalino ad argillam puram affuſo, huius partem quandam in gelatinam abire, et alcalinum odorem ſpargere ſaepenumero vidit, imo adeo experimentum BOYLAEI ex argilla cum ſale communi deſtillato ſalem ammo-

ammoniacum parari poſſe perhibentis felici labore repetiit. — Spatum ſcintillans, tam vulgare, quam illud verſicolorum Labradorenſe, noſtro, poſt iteratas cum ſale lixiuo fuſiones et ſubſequentem cum acido vitriolico calcinationem, aluminis ſat magnam copiam praebuit. — In Schorlo ſ. Baſalte cryſtalliſato, iaſpide et lapide piceo terram aluminarem contineri iisdem experimentis conſtitit. Stannum ſpatoſum ſ. minera ſtanni alba vulgo ſic dicta, ſi cum acidis mineralibus coquitur, colore flauo tingitur. Zeolithus Norwegicus cum ſalibus alcalinis et acidis digeſtus nullum ſalis medii veſtigium praebuit. – De mineralium ſpatoſorum diſcrimine. – De ſingulari quodam genere ſpati in Bohemia apud Ioachimsthal reperti, quod coloribus variis, albo ſcilicet, ſubgriſeo, fuſco aut rubro, nec non interdum nitore aureo vel aeneo gaudet. Dutius praeterea eſt fluore minerali, ſemipellucidum, nonnunquam in cryſtallos rhomboidales concretum. Partes illud conſtituentes, vt chemicis tentaminibus patuit, ſunt terra calcarea, terra magneſia et pauxillum ferri.

4. EDUARDI KING epiſtola ad JOH. PRINGLE p. 35. *de petrefacto quodam apud Eaſt-Lothian in littore maris Scotici reperto.* Quod petrefactum hoc loco nuncupatur, incruſtatum potius erat ortum ex ſabulo ferrugineo, quod rudentem in mare demerſum lapidea cruſta obduxerat, eo potiſſimum in loco, quo annulus ferreus rudenti alligatus erat. Plurimis exemplis hac occaſione data demonſtratur, ferri praeſentiam ad indurationem lapidum et petrefactorum plurimum facere.

5. BENJ. WILSON epiſtola ad IOS. BANKS *de* p. 51. *methodo magnetem arte parandi, qua* KNIGHTIUS *quondam vſus eſt.* Limatura martis aqua diu macerata et tritura ſenſim in puluerem ſubtiliſſimum

mutata, cum oleo lini in maſſam firmam redigitur, ex qua pro lubitu variae magnitudinis bacilli effinguntur, qui leni calore exſiccati, inſignem vim magneticam adipiſcuntur, ſi per breue tempus inter duorum magnetum extrema ſuſpenduntur.

p. 54. 6. JOHN LATHAM epiſtola *de ſingulari hydropis exemplo.* Impetigo poſt puerperium per intervalla efflorescens vna cum menſtruis ſubito diſparuit. Hinc ortus eſt hydrops, qui paracentesi itentidem, et ab initio quidem poſt ſex quasuis ſeptimanas, ſub vitae finem vero ſeptimo quouis die exhauſtus, poſt quatuor demum annos aegrotae mortem intulit. Cadauer incidere non licuit, hinc ouarii ſiniſtri hydrope affecti ſuſpicio confirmari haud potuit. Id vero ſingulare fuit, quod aegrota per omne morbi tempus bene ſeſe habuerit, et ambulationes, longiores etiam et protractiores, haud aegre tulerit. Computo facto apparuit, omnibus operationibus ſimul ſumtis aquae menſuras (*pints*) 3720 ex corpore detractas fuiſſe.

p. 139. 13. PETRI CAMPERI obſeruationes *de organis vocis in Simia Satyro, Orang-Outang dicta.* – In ſimia Cynocephalo L. S. Sphinge et S. Pitheco Auctor Os hyoides valde amplum mediaque ſui parte excauatum deprehendit, cui ſuper ipſa glottidis ſede ſaccus membraneus, breui rimula in aſperam arteriam hians, annexus erat. Similem ſaccum in S. Sphinge, ſed pro animalis magnitudine minorem, nullum prorſus in S. Apella inuenit. In ſeptem, quae vidit Auctor, Simiae Satyri (Pitheci Veterum; Orang Outang) ſpeciminibus, pedum pollices vnguibus carebant, vnum tantum, ſed in aliis quoque reliquis diſſimilem vidit, cuius pollices vnguibus muniti erant, nec, vt illi, ſingulis, verum binis phalangibus flectebantur. Caeterum exiſtimat, ſimias Afras, quas Orangoutang nomine TULPIUS et

TYSONUS

PISONUS descripserunt, ab illis in Orientali India degentibus multum differre, cum et his posteriori loco nominatis multo toroſiores sint, et sacco laryngeo careant. GALENUS vero procul dubio Simiam Satyrum dissecuisse ex illius descriptione cum Camperiana comparata apparet. Nimirum Noster in hac simia duplicem saccum ad os hyoides et laryngem deprehendit, neque id semel, sed in quatuor omnino huius animalis speciminibus, ita tamen, vt in vno ex his saccus duplex, in reliquis discretus at in vnum coalitus esset. Eadem fere in alio quodam huius animalis exemplo obseruabantur, quod, dum viueret, Princeps Arausionis, Belgii foederati Praefectus, in viuario asseruauerat. Apparet autem ex hac vocalium instrumentorum fabrica, Simiam Satyrum nec modulari vocem, nec syllabis distinguere posse, cum aër ex pulmone protrusus, super glottide statim in saccum laryngeum illabatur, indeque in os absque sonora modulatione reuertatur. Simile propemodum vocis instrumentum in ranis obseruatur. Simiae capucinae autemen alio tempore se descripturum esse Cl. CAMPER pollicetur.

19. CAZAUD *de nova saccharum ferendi et coquendi ratione.* Praemisit Cl. Auctor historiam naturalem arundinis sacchariferae, et obseruationes varias ad partium huius plantae naturam et aetatem eius variam, nec non ad coelum insularum Americanarum et pluuiae ibidem coelo delapsae annuam quantitatem spectantes. His suam sacchari culturam superstruit, quae a methodo vulgo recepta in eo differt, quod Noster surculos sacchari Maio et Iunio mense in terram defodere, Ianuario vero et reliquis ineuntis anni mensibus messem facere iubeat, cum alii contraria his faciant. Prolixior harum rerum descriptio a nostris rebus et aliena est, p. 207.

et difficulter abſque regionum ſacchariferarum
nitiori cognitione a plerisque intelligeretur.

p. 279. 20. IOH. HVNTER *commentatio de tauro*
(*Free-Martin*). Hermaphroditos naſci, qui
animalium generibus, equis praeſertim, aſin
bus, bubusque, haud inſolens eſt. Bubulcor
garis fert experientia, ex vitulo iuuencaque g
lis, quos vno partu forda emittitur, vitulum
in taurum gregisque patrem adoleſcere, iu
vero ſterilem eſſe, nec taurum appetere; q
Tauram veteres appellauerunt. Cl. HVNTER
ſingularitate motus, ſtudioſius in illam inq
quaeque tres taurae ab ipſo diſſectae ſibi vide
praebuerint, in hac commentatione expoſuit.
licet in prima, quam diſſecuit, taura, genitali
terna minora erant, quam in vacca eſſe ſolent
gina retro vrethrae orificium in anguſtum c
compreſſa ad vterum bicornem porrige
Vtriusque cornu apici ouaria teſticulique
tudine pares adiacebant. Ad ouaria nulla
pertinebant, teſtes autem vaſis deferentibus
perfectis tamen nec in epididymides deſi
et altero oſculo in vaginam prope vrethram
tibus inſtructi erant. Veſiculae ſeminales
longe minores, veſicam inter vterumque lat
In altera taura mox poſt vrethrae orificium
na coeco fine clauſa erat. Ouaria nulla
ſed eorum loco teſtes, ſupremis vteri bicor
vndique clauſi ſolidique finibus inſidentes. Ve
lae ſeminales inter veſicam et vterum, vaſa
rentia nulla: clitoris pari magnitudine, qua in
eis eſſe ſolet; vbera quatuor parua. In tertia
ra vagina pariter clauſa erat, vterus tamen c
duplici cornu ad ouaria exporrectus.

*) VARRO de r. r. l. 2. c. 5. Quae ſterilis eſt vacci,
ra appellatur.

nulla apparebant vestigia. Vasa deferentia vtrinque interrupta et semiobliterata, post vesicam seminis receptacula, quorum ductus vna cum vasis deferentibus in vaginam hiabant.

22. MATTH. GUTHRIE, M. D. epistola ad IOS. PRIESTLEY *de artificiis, quae in Russia ad refocillandos eos, qui carbonum noxio halitu suffocati sunt, adhiberi solent.* — Pars II. p. 325. Obseruatur ab initio huius dissertationis, glaciem fenestris hiemali tempore superfusam, dum colliquescit, vapores emittere, qui non minus, ac carbonum effluuia, vitam subuertere queant. Vtroque vaporum genere multi quotidie in Russia suffocantur, qui perirent, nisi adminicula excogitata fuissent, quibus vita resuscitari possit. Scilicet, quos a carbonum halitu exanimes reperunt, ex cubiculo protractos in niue seminudos deponunt; ventrem niue vel frigida perfricant, et las in fauces infundunt; idque facere pergunt, donec liuor suffocato corpori suffusus disparuit. Tandem, cum mens homini rediit, capitis dolorem, qui semper supereſt, cataplasmate ex pane secalino nigro et aceto facto profligant. Pulmones suffocatorum inflare, quod in submersis fieri debet, non opus est; sponte redit respiratio, postquam phlogiston abundans e corpore excessit.

24. FEL. FONTANA *de aëris inflammabilis inspiratione.* Cum SCHEELIVS aërem inflammabilem facile, quin imo cum oblectamento, pulmonibus hauriri posse perhibuisset, PRIESTLEY vero hoc id negasset, vt illum aërem semper vitae perniciosum esse affirmaret, noster doctissimorum virorum pugnantia placita, experimentis conciliare studuit. Et inspirari quidem posse inuenit aërem inflammabilem, si pulmoni post praeuiam exspirationem aliqua adhuc aëris communis seu certe nondum omnino corrupti portio inhaeret, praefocationem p. 337.

autem

autem ſubito inſtare, ſi in pulmonem aëre c
ni prorſus vacuum aër inflammabilis ſuſc
Scilicet aërem inflammabilem ob leuitatem
ſemper, ſi vna cum vulgari hauriatur, huic
innatare, nec proxime pulmonis interioribus
raculis applicari; et contra in eadem infeſta
ruere, ſi ſolus pulmonem ſubeat. Adiecit C
ctor peculiarem obſeruationem de aëris inflam
bilis natura varia, per quam patet illum aërem
flammabilem qui acidorum miniſterio ex met
educitur, ſub deflagratione ſcintillis fulgurare,
contra non fieri ſolet cum eo, qui animalium
vegetabilium reſolutione obtinetur.

p. 362. 25. G. SHUKBURGH *de vario bullientis aquae calore.* Obſeruationibus multis demonſtratur, ther
mometrum bullienti aquae immerſum non eun
dem vbique caloris gradum indicare, ſed pro va
locorum altitudine varium; ſimulque docetur
quomodo in thermometris conficiendis hac obſer
vatione ad caloris gradus recte definiendos
debeas.

p. 376. 26. IOH. INGENHOUSZ *diſſertatio de nouo ſa
cileque parabili aëris inflammabilis genere; cui ad
cta eſt noua exploſionis pulueris pyrii explicatio.* Ni
ther vitrioli ſolius quaſſationis adminiculo prae
hunc aërem inflammabilem aliis cognominibus
ſpeciebus et ipſo aëre communi ponderoſiorem.
Pulueris pyrii exploſio ab aëre inflammabili, quem
carbo, et dephlogiſticato, quem nitrum contin
ſub ignitione vna euolutis, accenſis et in inſigni
molem nunc expanſis, proficiſcitur, in eo vero di
fert ab illa exploſione, quam aër inflammabilis
dephlogiſticatus praeuio labore parati edunt, q
hi iam ex breui materie, in qua latebant, eu
magnum iamiam ſpatium occupant, nec, niſi
ſub detonatione in quadruplum volumen exp
dantur,

dantur, cum contra haec aëris genera in pulueris pyrii explosione, simul contingente euolutione et deflagratione, spatium bis millies pristino maius affectent.

28. F. FONTANAE ad IOH. PRIESTLEY data *epistola de aëris ex variis aquarum generibus euoluti differentia.* Accedunt *obseruationes de aëris in variis regionibus diuersa salubritate.* Aqua fontinalis sub coctione aërem modo phlogisticatum, modo fixum, modo vtrumque exhalabat, aqua Sedani fluvii aërem communi atmosphaerico puriorem, aqua fontis Herculei in agro Parisino (*Eau d' Arcueil*) aërem fixum et alium aërem atmosphaerico multo puriorem, aqua destillata denique aërem puritate ad dephlogisticatum prope accedentem. Aqua, aëre ipsi adhaerente per artem priuata, idem illius volumen, quod antea habuerat, intra 50 dies absorbet. Aëris dephlogisticati maius, quam communis, volumen ab aqua absorbetur. Atmosphaericus aër, dum aquae miscetur, in dephlogisticatum mutatur. Purior est aquae bullientis aër, qui per hydrargyrum, vel aquam destillatam, quam qui per aquam simplicem in receptacula transmittitur. Aër atmosphaericus quassatus cum aqua volumine non minuitur, sed augetur, idque tanto magis, quanto diutius quassatus fuerit; deinceps vero iterum minuitur, et de puritate sua quidquam perdit. At contra dephlogisticatus aër, si cum aqua conquassatur, continuo volumine et puritate minuitur. Obseruationibus adiectis demonstratur, aëris communis salubritatem in variis locis, per eudiometra hactenus inuenta nondum satis certo determinari posse. p. 432.

29. WILH. SWIFT *de nonnullis experimentis electricis epistola.* Variis exemplis mucronum prae globulis, in diminuenda et deriuanda materie electrica, praestantia asseritur. p. 454.

30. *Sito-*

p. 455. 30. *Sitodium inciſum et matrotarpon vſque fructuum, qui exinde naſcuntur, deſcripta a* THUNBERG. Eſt Artocarpus auctorum, ſub nomine Radermachiae a Cl° THUNBERGIO deſcripta in actis Holmienſibus anni 1776. Botanicam deſcriptionem huius arboris vtpote nimis ampla transſcribere praetermittimus. Lignum arboris adultae fabricandis domibus nauibusque et variis ſupellectili inſeruit. Lac arboris viſci ſimile auricupibus adhibetur. Baccam, quae pondere ſaepe 30 libras aequat, crudam, coctam vel aſſatam, maturam vel immaturam, panis loco et inter edulia menſis apponunt. Nucleos etiam varia ratione conditos coctosue comedunt. Cortice externo ſeminumque putaminibus ſues ſaginantur. Fercula quae ex ſitodii fructibus parantur, auctor ſcorſim deſcripſit.

p. 527. 33. GEO. FORDYCE et STANESBY ALCHORNE *diſquiſitio chemica nonnullarum minerarum, quae in* GUILIELMI HUNTERI *muſeo aſſeruantur.* Pyrites aurifer, aurum, non mineraliſatum, ſed natiuum continet. Deſcribitur minera argenti vitrea Norwegica, quae in centenario viginti octo partes auri habebat.

p. 537. 34. IOH. INGENHOUSZ *de ſuſpenſione acuum magneticarum.* Notum eſt, acus nauticas, quo melliores fortioresque ſunt, eo magis a leuiſſima quauis concuſſione in vibrationes rapi, qua re mirum eſt, quantum ſaepenumero obſeruationes turbentur. Noſter, vt huic malo, haud infracta ipſa vi magnetica, medela adhibeatur, acus nauticas in vaſe vitreo, liquore pellucido, aqua vel oleo tenui exacte pleno inter duas patellas (in quibus ſcilicet cardo acus medius ſit verſatilis) defigere ſuadet, putatque, acus ipſas etiam, vt aucto volumine leviori pondere aquam premant, tubo vitreo inclusas poſſe.

39. EIVS-

39. EIVSDEM *de nouis quibusdam inuentis, ad doctrinam de electricitate spectantibus, dissertatio.* Auctor a Societate regia iussus fuerat, dissertationem physicam, quae ex BAKERI instituto quotannis praelegitur, elaborare; eaque est, quam recensemus. Narratur, qua ratione machinas electricas Noster sensim emendauerit et excoluerit, suffectis in cylindrorum globorumque locum discis vitreis, hisque deinceps, cum pretium ingens eorum vsui obstaret, discos chartaceos sericeosque substituerit.

Mathematica et historica, quorum censum hoc loco non iniuimus, haec sunt: 7. ED. WARING *de logarithmorum interpolatione.* p. 59. 8. I. A. LEXELL *de tempore periodico cometae a.* 1770 *obseruati.* p. 68. 9. ED. WARING *de generali aequationum algebraicarum resolutione.* p. 86. 10. ANT. ULLOA *animaduersiones de solis defectu totali et annulari d.* 24 *iun.* 1778. *in itinere ab insulis Azoricis ad Sti Vincentii promontorium obseruato.* p. 105. 11. TH. BUGGE *tentamen continens historiam machinae sublicarum.* p. 120. 12. *Relatio de telescopio iconantidiptico recens inuento a* Cl° JEAURAT, Acad. Sc. Paris. S. p. 130. 15. ALLEN COOPER *de fulguris effectis singularibus in naui Indica obseruatis.* p. 160. 16. IOH. LONGFIELD *astronomicae obseruationes.* p. 163. 17. WILH. STEPHENS *obseruationes, quibus latitudo urbis Madrass definitur.* p. 182. 18. CAR. BURNEY *de infante quodam musico.* p. 183. 21. *Ephemerides meteorologicae societatis regiae.* p. 295. 23. P. DOLLOND *de machina quadam instrumento aequatoriali applicanda, cuius ope errores a refractione lucis in altitudine proueuientes corriguntur.* p. 332. 27. RAMSDEN *micrometra duo recens inuenta.* p. 419. 31. I. ANDR. DE LUC *specimen secundum dimensionum cum barometro in montibus Hercyniae siluae institutarum.* p. 485. 32. IS. MILNER *de Aequinoctiorum progressione a solis attractione proueniente.* p. 505.

p. 547. *bienie.* 35. TH. BARKER *ephemerides meteorologicae, Lyndoni in Rutlandiae comitatu deſcriptae*
p. 551. 1778. 36. S. FARR *ephemerides meteorologicae*
p. 555. *Briſtolenſes anni* 1778. 37. TH. A. MANN *de fi*
p. 657. *minibus et canalium ſubſtructionibus.* 38. *Ephemerides meteorologicae Labradorenſes* a N. DE LA TRO BE ad Societatem miſſae.

X.

Anatomicarum annotationum liber primus de neruorum gangliis et plexubus. Auctore ANTONIO SCARPA, in Mutinenſi archigymnaſio anatomes et chirurgiae Profeſſore, nobilis comii militaris et legionum Sereniſſimi Mutinenſium Ducis chirurgo primario, 4. cum tab. aeneis pagg. 149.

Cl. SCARPA, qui et iam aliis ſcriptis et opuſculis ſe de meliori commendauit, nouum hic oſtendit eruditionis et ſedulitatis teſtimonium. Perlegimus enim ſumma cum voluptate hunc eius annotationum librum primum, qui non ſolum noua multa obſeruata comprehendit, verum quoque ipſa elegant proponit.

p. 5. Ganglia macerationi credita, quotidie nouo limpida aqua irrorauit, ita, vt cellulari textu reſoluto neruea filamenta in conſpectum facile venirent, et quodlibet ganglion in barbulam neruorum filamentorum abiret.

Diuerſitate gangliorum cognita, eadem diuidit in duas claſſes, in ea nempe, quae a ſpina prodeunt, et in ea, quae per omne corpus diſperguntur, priora *ſpinalia* ſ. *ſimplicia*, poſteriora *compoſita* ſiue *non ſpinalia* appellat. Summam conſtantiam et ſtabilitatem circa ganglia animaduertit, plexus cum gangliis

gangliis ſtructura et munere conuenire Auctor eſt, ganglia plexuum ſpecies, vel plexus gangliorum ſpecies dicit. Nerui triplici ratione componuntur; nimirum vel cerebri neruea filamenta cum ſpinalis medullae filamentis inuicem coaleſcunt. vel neruorum cerebralium propagines cum cerebralibus neruis, vel ſpinales cum neruis eiusdem naturae conſociantur. Circa ganglia abdominalia multa adhuc obſeruanda reſtare monet.

Primo in capite fabricam gangliorum diſquirit. p. 11.
Spinalium gangliorum vtraque radix, et illa, quae anterior eſt, et quae poſterius conſpicitur, ſingulari et proprio inuolucro inueſtitur; ſicuti et compoſita duplici inuoluuntur tela celluloſa, alia propria preſſius adhaerente, alia laxa, quae a vicinis partibus aduenit. Quae inuolucra diuerſam habent p. 14.
duritiem, atque variis in locis etiam ſatis tenuia ſunt.
Gangliorum pulpam ſiue tomentum cinereum ſub p. 16.
inuolucris poſitum, ſtatuit, eſſe mollem cellularem contextum ſtaminibus neruorum interiectum; cineream et mucilaginoſam hanc materiam in emaciatis, luteam, oleoſam et adipoſam in obeſis, aquoſam in cadaueribus hominum anaſarca demortuorum inuenit. Inuenit immo adipoſam materiam in ipſis neruis, e. g. iſchiadico. Diſpoſitio filorum p. 18.
neruorum pro diuerſo ganglio varia eſt, in ſimplici ſpinali neruorum fila ad vnum omnia per eius axim excurrunt, in ganglio non ſpinali compoſito autem partim axim tenent, partim ab axi ad latera deflectunt.

Mox ſuas profert de radice poſtica et antica p. 20.
gangliorum ſpinalium obſeruationes, quibus demonſtrat, ſingulari ſtudio horum neruorum ſtructura indagata, atque VIEUSSENII et WINSLOWII obſeruatis examinatis, intercoſtalis acceſſorium nerum interdum ſimplicem, ſaepe duplicem,

nunquam a ſpinali ganglio, ſed perpetuo infra ganglion e trunco nerui ſpinalis exire, neque de ſalibus ſolum, verum quoque de lumbaribus et cralibus idem valere; ſicuti et acceſſorii nerui turam pro diuerſa ramorum diuiſione notat.

p. 27. Compoſita ganglia a ſimplicibus in eo differunt, quod non vbique eiusdem craſſitiei et figurae ſint, quod molliora et tenuiora ſtamina obtinuerint, quod plures fibrillae taeniolas veluti quasdam, quemadmodum Auctor dicit, intra ganglion efformant, quod non omnia neruorum fila per totam ganglii longitudinem procedant, ſed ad latera deuergant. Fila enim mox per totam ganglii longitudinem, alia a ſuperiori vel ab inferiori aperiuntur ſeuntur. In huius claſſis gangliis ſtamina magis

p. 30. oblique ab axi deflectunt. Ganglia compoſita aliquam ab ea regione, vnde neruos acceperant, ſed ab oppoſita ſemper emittunt furculos, atque ex pagines ad ipſa conſtituenda ex diſſitis adueniunt et concurrunt regionibus. Componuntur haec tione ganglia ex filis neruorum quintae et ſextae coniugationis cerebri cum ſtaminibus neruorum duorum, aut trium coniugationum ſpinalium.

p. 37. Breuiter his quaedam ſubiungit de gangliis inſectorum in bombyce, eruca ſalicem erodente, ephemero verme, mytilo, coſſo et ſepia.

p. 49. Caput ſecundum de vſu gangliorum exponit atque prolatis omnibus de eorundem vtilitate ſententiis, cum MECKELIO atque ZINNIO ſtatuit ganglia neruos disiungere, commiſcere, coalescere, deinde neruos origine ſua ex cerebro vel ex medulla ſpinali diſtinctos et idem ganglion attingentes ita miſcendo conſociare, vt vnusquisque nerus inde egrediens ex filis plurium coniugationum componatur, denique neruorum furculos tandem plures in vnum truncum congregare. Quae

mox variis atque egregiis et adaequatis exemplis illuſtrat, inprimis illo progreſſu atque itinere, quod deſcribit intercoſtalis neruus. Atque inuiti abſtinemus ab harum obſeruationum enarratione, niſi vereamur, nos librum transſcribere, dum eius ſummam tantum indicare nobis propoſuerimus. Legant eapropter ipſum auctorem, quibus intereſt haec accuratius noſſe. Sed non ſolum gangliis nerui intercoſtalis, verum quoque ganglio ciliari, ſphenopalatino, maxillari et aliis ſuam ſententiam erudite et ſtudioſe confirmat.

Tertium caput de vſu gangliorum ſpinalium, plexuum brachialium et caeterorum plexuum neruorum humani corporis agit. Diſcrepant ganglia ſimplicia ſeu ſpinalia a compoſitis in muneribus obeundis. Neque enim adeo compoſitos et multos ramos ad varias vndique diſſitas partes transmittunt, ſed ſtamina mollia et tenuia commiſcent et in vnum duriuſculum filorum faſciculum colligunt, vt firmitudinem eo maiorem adipiſcantur. Sed tamen et ad ganglia ſolius poſticae radicis accedunt ſtamina quaedam e ſpinalium neruorum ſuperiori coniugatione, ita vt ſpinalis quilibet neruus in maiorem atque ampliorem ſpinalis medullae agat particulam. p. 82.

Propoſita eſt quaeſtio a nonnullis, cur ſpinales nerui nullis gangliis infra ſpinam inſtructi ſint. Circa quam quaeſtionem animaduertit, ſpinalibus ganglia neceſſaria non eſſe, cum ad muſculos et cutim tantummodo pertineant, neque ad varia loca declinent, atque in ramos diſpeſcantur arteriarum ad inſtar e. ſ. p. ſicuti eadem obſeruare licet circa neruos cerebrales, qui in muſculis diſtribuuntur. Mox quaerit, cur radix ſpinalis nerui anterior ganglion non ingrediatur. Quam obſeruationem ita illuſtrat, vt credat, id ideo fieri, quod poſterior radix p. 85.

dix ſolummodo ad medullam pertineat ipſique propria ſit, anterior vero potius cum cerebralibus connexionem ineat, ne vnus porro idemque affectus vtramque radicem laedat. Oritur quoque quilibet neruus ſpinalis triplici radice, anteriori nimirum et poſteriori a filamentis nonnullis ſuperioris coniugationis.

p. 90. Sed quamuis etiam nerui ſpinales praeter ganglia iam nominata nulla amplius forment, tamen multiplicibus ſuis ramis mutuo accedunt et diuerſe mode miſcentur, quemadmodum variis exemplis nerui phrenici, plexus brachialis, cruralis, e. l. demonſtrat. Fibras nerueas plexus brachialis eiusdemque ramorum decuſſatas animaduertit, ipſumque a quatuor inferioribus ceruicalibus et primo dorſali oriri multis in ſubiectis inuenit. Neruus patheticus vnus eſt neruus, qui ſine eo, quod se commiſceat cum aliis ſtaminibus, decurrat ſolus. Denique de plexubus thoracis et abdominis atque paribus neruorum cerebralium eorundemque coniugationibus nonnulla addit.

p. 109. Denique caput quartum de conſenſu partium in homine quaedam ſubnectit. Explicat nimirum ex conſpiratione neruorum affectiones conuulſiuas, intelligitque per conſenſum effectum, qui ſolas affectas radices neruis communes exſerit. Quapropter de turbis, quas nerui inteſtinales mouent, de colicis doloribus et de aliis morbis dicit eorumque origines indigitat.

Tabulae duae nitidiſſimae repraeſentant ganglia compoſita et ſimplicia, eorundemque ſtructuram, ramos ſpinales a neruis dorſalibus binis ſiniſtri lateris in intercoſtalem immiſſos, ganglia intercoſtalis dorſalia duo, totidemque radices nerui ſplanchnici, atque plexus brachiales.

X.

ANTONII SCARPAE, dudum in Mutinenſi, nunc in R. Ticin. Archigymn. P. anat. et chirurg. operat. Profeſſ. Oratio de promouendis anatomicarum adminiſtrationum rationibus, MDCCLXXXIII. 4. pagg. 68.

Noluimus hanc Cl. SCARPAE orationem ſilentio praeterire, cum multa proponat, quae noua et ab ipſo nuper detecta ſunt. Non conſentit cump. 6. iis, qui multiplicia humani corporis integumenta aſſumunt, atque vitio diſſectionis et nimia ſedulitate hunc errorem ab anatomicis committi, potius praeter cutem modo vnum vniuerſale tegumentum oſtendit, intus molle atque mucoſum, ad extimam corporis vero ſuperficiem denſum atque compactum. Neque eorum opinioni adſtipulatur, qui vngues et pilos pro corporis mucoſi et cuticulae propaginibus habent. Sic et diſſectioni muſculo-p. 11. rum regulas et terminos praeſcribit atque ponit, diſſentiens ab iis, qui muſculos, ex libidine inprimis accumulandi vocabulorum farraginem, in minimos diuidunt faſciculos. Ex apta enim diſſectione et adminiſtratione actiones muſculorum in homine viuente omnium optime explicantur. Egregie eapropter animaduertit, muſculorum mobilitatem, nexus et intentiones cognoſcendas eſſe, tironesque myologiam docere ita proficuum eſſe, vt quam optime cognoſcant cohaeſiones ipſorum muſculorum cum oſſibus, et qua ratione et ſecundum quam legem inprimis fiat. Iure exſpectat, ex hac conſideratione diligentiori muſculorum magnum fructum redundare in artem chirurgicam, quae fractis et luxatis medetur oſſibus, ſicuti hoc iam ex veterum et POTTII encheiriſi apparuit.

p. 22. Ligamentorum formam atque numerum post-
poſtera diſſectione mutari, aut ſine neceſſitate su-
geri, contendit, ipſaque nulla praeparatione in-
p. 34. gere auctor eſt. Variis conſiliis de neruorum et
vaſorum adminiſtratione prolatis, ſuadet, ſicuti in-
varii anatomici ſolebant, a tergo etiam thoracem
et ventrem aperire, vt et a poſteriori parte ſitus
viſcerum eorundemque figura appareat. Atque
iure ſperat, ex hac viſcerum contemplatione mul-
tam vtilitatem ad artem medicam et chirurgiam
hinc deuenire; ſimul et alias viſcerum demon-
ſtrandorum adminiſtrationes vel reprehendit et cor-
rigit, vel perficit et commendat.

p. 42. Commendans porro STENONIS conſilium, qui
voluit anatomicum, cui noua inuenire atque de-
gere volupe ſit, a receptis diſſectionis rationibus
recedere debere, commemorat, ſe nouum neruum
quinti paris neruum *naſopalatinum* inueniſſe, atque
etiam primum par neruorum accuratius examinaſſe.

p. 53. In porcellis indicis cotyledonis fabrica talis
eſt, vt materna ipſius pars papillam excipiat foetalis
placentae, quae forma ab humana non adeo differt.
Vaſa vteri in porcello proxime catulos editura re-
pleuit et reperit iniecta matricis vaſa ex materna
cotyledonis cauitate in exceptam foetalis placentae
papillam manifeſto tranſiiſſe, totamque placentam
ad funiculum vſque vmbilicalem eadem materia
repletam fuiſſe: manifeſto indicio, apertam eſſe
viam humoribus a matre ad foetum.

p. 61. Dum errores, qui in adminiſtrationibus inie-
ctionum vaſorum ſanguiferorum et lymphaticorum
committuntur, taxat, vitio effuſionis accidere ani-
aduertit, vt mercurius deueniat dilaceratis lym-
phaticorum tunicis ad venas rubras, cum quibus pro-
ſae quaſi ſunt coalita.

Dem-

Denique, poſtquam multa adhuc de iniectionis p. 66.
arte protulerit, monet, non ſolum anatomicos ſtudioſos eſſe debere in minimorum ſurculorum cognitione, verum quoque in maiorum ramorum origine, ſede atque inceſſu perquirendo curioſos.

Sic et multa alia lectu digna haec eleganti calamo exarata oratio continet.

XI.

Thoughts on Amputation. Being a Supplement to the letters on compound Fractures and a comment on Dr. BILGUER's Book on this operation, to which is added a ſhort eſſay on the uſe of opium in mortifications, by THOMAS KIRKLAND, M. D. Member of the Medical Society at Edinburgh. London 1780. 8. pagg. 67. c. fig.

i. e.

Aduerſaria de amputatione et de vſu opii in gangraena, auctore TH. KIRKLAND.

Proponuntur, defenduntur et commentatione erudita et exemplis illuſtrantur BILGUERI dicta, ſicuti ſint talia, quae contra POTTII aſſertiones ſunt prolata. Ex quibus animaduerſionibus inprimis collegit Cl. KIRKLAND: amputationem membrorum in gangraena ad oſſa vſque procedente tunc demum locum habere, quando ſerra inter vivam et mortuam partem applicari poteſt; amputationem in fracturis complicatis ex probabili exitu eſſe diiudicandam, omniumque optimam ſeparationem in laeſo loco eſſe adminiſtrandam. Experientia duce nec in quam maxime complicatis fracturis deſperandum eſſe monet; amputationem inſti- p. 54.

tuendam esse, si a suppuratione membranarum et tendinum et a carie lenta febris sit oborta. Experientissimi et exercitatissimi chirurgi affirmant, vulnera contusa partium mollium cum fractura ossium sine vulnere plerumque coire, neque amputationem requiri: amputationem porro Cl. Auctor necessariam iudicat, si vna cum ramo principe et reliqua vasa collateralia sunt laesa. In carie ossium cylindraceorum saepe membrum seruatur, quamvis magna ossis particula eximatur, vel articulatio anchylosi concrescat; at si exfoliatio nec exspectanda, nec aeger a febre lenta liber praestari potest, tunc oportet membrum amputatione separare. Si carcinoma topicum est, illud excidendum, sin vniversale, nec operationem aegrum a morte saluum reddere, Cl. KIRKLAND perhibet.

p. 59. In ea gangraenae specie, quae ab inflammatione et obstructione suboritur, praeter venaesectionem et medicamina laxantia salina, opiata commendat, quibus stimulus euacuantium mitigetur, simulac vero inflammatio imminuta fuerit, tunc acida vegetabilia propinat, corticem tunc demum adhibiturus, si partes gangraenosae ad separationem fuerint pronae. Parti autem affectae impone cataplasmata ex pane albo, lacte, sale mirabili Glauberi et aceto Saturni, neque negligit cum antisepticis simul opium externe applicare. Commendat quoque ex emplastro diachylo, puluere althaeae farina seminis lini, cera, opio, resina et oleo emplastrum parare. A maiori dosi opiatorum abstinebit chirurgus, quia saepe appetitum delent et delirium gignunt. Si gangraena phalangum pedis ab acrimonia oritur, dissuadet Auctor opium, et potius solutionem mercurii sublimati proficuam inuenit, nec, si a vi vitali imminuta gangraena progenita fuerit, opiata praescribit.

p. 63.

XII.

XII.

Account of an elaſtic Trochar, conſtructed on a new Principle for tapping the hydrocele or watery rupture: by which the operation may be performed at any period of the Diſeaſe and with leſs Pain than with the common trochar. With a few Words in favor of a large trochar on a ſimilar conſtruction, for tapping the Abdomen, by JOHN ANDREE, Surgeon to the Magdalen Hoſpital and the Finsbury Diſpenſary. London. 1781. 8. c. fig.

i. e.

De acu triquetra elaſtica eiusdemque vſu, in cura hydroceles cet. auctore IO. ANDRE'E.

Ad commoda huius acus Cl. Auctor refert, quod applicari poſſit, quamuis etiam tumor ſcroti non adeo fuerit magnus, quod vulnus ab ipſo inflictum multo minus ſit eo, quod ab ordinaria acu infligitur, neque adeo dolorificum. Ex iisdem rationibus paulo maiorem acum triquetram commendat pro operatione paracenteſeos. Compoſita vero eſt haec acus ex cannula anterius diuiſa, et hinc elaſtica, et ex plana, depreſſa, ancipiti et in vtroque latere anterius paululum eleuata acu. Sed ſi dicendum quod res eſt, non intelligimus, quatenus hoc inſtrumentum ordinariam acum anteſedat, nec perſuadere nobis poſſumus, ab eodem quicquam vtile ad hydroceles operationem redundare.

XIII.

Medicinifchchirurgiſche Beobachtungen, nebſt einigen Anmerkungen darüber, von CHRISTIAN LUDEWIG MURSINNA, *Regimentsfeldſcheer, des*

Hochlöblichen Regiments von Stwolinsky, etc. Sammlung. Berlin, bey Chriſtian Friedrich Hi... burg 1782. pagg. 221. ohne Dedication, Vorrede und Innhalt.

i. e.

Obſeruationes medico-chirurgicae, cum quibusdam ad eas annotationibus, auctore CHR. LVDOV. MVRSINNA, collectio prima.

Celebris harum obſeruationum Auctor, iam ſua de dyſenteria putridisque febribus animadverſionibus clarus, morborum exempla, methodumque iis medendi adhibitam, vel adhibendam, ita enarrat et illuſtrat, vt omnes de vita hominum bene cupientes gratum ipſi habituri ſint animum, optaturique, vt fides, quae de pluribus edendis ab eo data eſt, etiam ſoluatur.

p. 2. Quinque priores obſeruationes de capitis laeſionibus agunt. Vulnus, de quo prima loquitur, iuueni militi enſe falcato acuto illatum erat. Id quidem pollicis cum dimidio longitudine pollicem ſuper ſinu frontali dextro. Licet exterior tantum tabula laeſa fuerit viſa, indeque vulnus leuiter tractatum, acies enſis tamen inſenſibili modo etiam interiorem penetrauit, duramque matrem, fere lenticulae tantum magnitudine, ab oſſe ſeiunxit. Septimo enim die fragmenta propter oſſis corruptionem erant auferenda, vulnerisque et febris quotidianae, aegrum male habentis, curatio nullis remediis praeſtanda erat. De nullis interea capitis doloribus conqueſtus aeger ſexta ſeptimana ſtatim vehementiſſima cephalaea, et mane poſt ſuffocatione, ſtupore, ſiniſtrique lateris paralyſi afficiebatur. Vulnus denuo dilatabatur, et fragmenta oſſis, in toto vulneris ambitu corrupti, et hinc inde

p. 5.

perfo-

perforati, remoto, trepanatio, quatuor coronis ad corruptam oſſis partem ſimul auferendam applicatis, inſtituebatur. Dura mater ab oſſe ſeparata, et a pure exeſa, incidebatur, et cum pauxillo corticalis cerebri ſubſtantiae reſcindebatur. Quae omnia quidem cum leuamine et reſipiſcentia aegri peracta ſunt; quum vero dura mater vlterius adhuc a cranio ſeiuncta, et pure, totum dextrum cerebri hemiſphaerium occupante, imo in gyros ad p. 9.
dimidium pollicem penetrante, in iisque varios paruos abſceſſus formante, exeſa fuerit, ſexto die poſt operationem mors ſequebatur. Siniſtra vero cranii, cerebrique pars illaeſa erat. Videntur hic vaſa tantum minora laeſa, vel dilatata eſſe, indeque ſucceſſiua cerebri inflammatio orta.

Pariter ipſi Ill. HENCKELIO leuis viſa, letalis p. 12.
vero facta capitis laeſio enarratur in obſeruatione ſecunda. Vulnus enim in femina, quae ex lecto ollae terreae inciderat, in fronte ortum, oſſis quidem partem a pericranio denudauerat, non tamen laeſerat, nec febre, aliisque ſymptomatis coniuncta erat. Quae et in abſceſſu illo, die duodecimo
prope vulnus paene ſanatum oborto, aberant. Quin p. 14.
ta vero ſeptimana ſubito acceſſerunt deliria et ſtupor; et, licet aegra poſt venaeſectionis et laxantium copioſum vſum iterum ad ſe rediret, alacrior-que fieret, tertio tamen die poſt rurſus ſtupida, quarto obiit. Collecta vero erat inter cranium et p. 16.
duram matrem, ab oſſe, penitus illaeſo, floreni ambitu ſeiunctam et exeſam, puris foetidi quantitas trium vnciarum pondere aeſtimanda. Quod pus et piam matrem exederat, et paene totum dextrum cerebri hemiſphaerium ita occupauerat, vt ſubſtantia puri ſimilis reddita fuerit. Penetrauerat etiam in dextro proceſſus falciformis latere corpus calloſum, forte illo die, quo delirium aegram inuade-
bat.

bat. Teſtatur haec obſeruatio, inflammatio
ſuppurationemque cerebri non ſemper ſequi pe
culoſa ſymptomata; patetque ex ea et antecede
p. 18. DEASII opinionem, qua, ſuppurationem cerebri p
diem decimum ſeptimum raro contingere, aſſe
tur, non vtique veram eſſe. Aegra vero non m
ante lapſum a lue venerea liberata erat, inde ver
ſimile, vaſa acrimonia hac et mercurialibus ad
bitis multum debilitata ad hanc puris collectionem
maxime diſpoſita fuiſſe. Confirmat id etiam pa
cranii ab oſſe non tantum in vulneris loco ſeiu
ctio, ſed et in magno ambitu laxiſſima cum eo co
haeſio; ex quo durae matris ſimilem qualitatem
coniiciendam fuiſſe rite iudicat Cl. Auctor.
p. 20. Tertia obſeruatio vulneris pede ſcamnelli fi
ſtrae frontis oſſis parti inflicti felicem curationem
recenſet. Fracta tantum erat exterior tabula, i
eo loco valde prominens, ita, vt fragmenta ex fr
p. 24. frontali admodum magno extrahenda eſſent. M
cus vero non per narem ſiniſtrum, ſed per vulne
excretus plenariam vulneris ſanationem ad tert
vſque menſem retardauit. Quae tandem praeſ
eſt iniectione olei amygdalarum dulcium in vulne
vaporibusque herbarum emollientium naſo ex
p. 25. admotis. Videtur vero et cerebrum valde co
cuſſum, et ſanguis extra vaſa illius miſſus fuiſſe
vis enim a robuſto viro aegro iacenti illata ma
fuit, et larga ter repetita venaeſectio cum copio
euacuantium vſu neceſſaria ad ſtuporem alia
peiora ſymptomata tollenda.
p. 28. Quarta obſeruatio exhibet exemplum vehem
tis commotionis cerebri. Aegra per latentem fo
aperturam, tabulati altitudine, in ſaxeam ſtruc
ram cecidit. Licet in ea praeter clauiculam
medio fractam, et dextrum humerum brachiumque
p. 30. tumefactum, Cel. THEDENII ad methodum in
lucri

ſuctris applicatis tractatum, exiguus tantum tumor ſuper dextro oſſe temporum ſine vlla alia laeſione obortus eſſet, tanta tamen cum totius corporis, tum inprimis cerebri, concuſſio facta eſt, vt peſſima ſymptomata, ſtupor nempe, ſenſuumque abolitio, decimo die primum remiſerint; et tertio adhuc p. 36. menſe memoriae, auditus, et loquelae aliqua imbecillitas cum vertigine crebriorique cordis palpitatione animaduerſa fuerit. Quae aegritudines anno elapſo plane ceſſarunt, aegramque ita labefactarunt, vt etiam poſtea, ſanguine quocunque modo accumulato, ſtatim vertigo et lipothymiae illam ad frequentiores ſanguinis miſſiones impulerint. Et p. 37. certo hae venaeſectiones, ſaepius repetitae et largiores, cum frigidis epithematis, ex glacie ipſa quandoque factis, copioſiſſimisque euacuantibus coniunctae, praeter lotionem capitis, aqua ſaturnina Goulardi, et ſpiritu camphorato, brachii vero, tinctura cantharidum ad Alexandri modum parata, ſexto die factam, veſicatoriumque ſuper pubis oſſibus decimo die applicatum, in hac aegra, in qua non tantum in toto dextro latere ſanguis ex vaſis effuſus erat, ſed et talis ſanguinis effuſio in ipſo cerebro exſtitiſſe videtur, multum praeſtiterunt. Quare largioris ſaepiusque repetitae venaeſectionis, etiam in trepanatione neceſſariae, epithematum frigidorum, copioſiorum euacuantium, et, ſi prima praecipuaque pericula praeterierunt, diu adhibiti corticis Peruuiani, ad ſuppurationem pulmonum et hepatis impediendam valde vtilis, vt et opii ad neruorum vaſorumque debilitatem tollendam, vſum confirmat, laudatque Cl. Auctor in commotionibus cerebri, vel et totius corporis, cum ſanguinis effuſione ſaepiſſime coniunctis. Dolet p. 44. modo, celeberrimos Chirurgos, velut BROMFIELDVM et KOELPINVM cum SCHMVCKERO et POTTIO,

pio, non adeo inter se consentire. Demonstrat rectum inuolucrorum THEDENII, in tam multis
p. 38. variisque morbis vtilium, vsum. Docet etiam successiuam sensuum abolitionem, ob certum effusi
in cerebro sanguinis signum tum non valere posse,
p. 49. cum vasa rupta effusionem gignant; certissimum laesi cerebri signum esse pulsum intermittentem,
p. 55. alio adhuc adducto exemplo comprobat; morbosque hepatis, quorum cum capitis laesione connexorum, saepe recurrentium, notabile exemplum de notabili femina enarrat, nec adeo frequentes laesionum capitis symptoma, nec eum his adeo ma-
p. 51. gnam habere communionem, arbitratur; inuoluntariam enim foecum et vrinae excretionem, quam KOELPINVS aliique ab illis morbis hepaticis deducere velint, magis a laeso systemate neruorum
p. 60. Laudatorum illorum remediorum egregia utilitas confirmatur in obseruatione quinta. Efficacissima enim erant in femina ab equo in frontem tacta, inde retrorsum lapsa, in qua vehemens febris oriebatur, et vulnus frontis sanari non poterat, nisi tumore occipitis, verticis et temporum decimo die post totius capitis tonsuram, in capitis laesionibus necessariam, detecto, et auxiliis hic adhibitis antrorsum pulso, tandemque discusso. Docet et haec obseruatio, quantum diuturnior alui
p. 67. obstructio, primarumque viarum saburra symptomata cum laesionibus capitis coniuncta augeant et
p. 66. peiora reddant. In hac tandem aegra, in qua memoria et auditus diu debilior fuit, pericranii, meningeque matris ab ossibus seiunctionem ista mala produxisse, verosimillimum est. Opium eunuchi-
tibus admixtum huic aegrae multum profuit.
p. 70. Sexta obseruatio horrendam ossium capitis ca-
p. 92. riem describit. Haec initium cepisse videtur in osse sphaenoideo, in quo nec sinus, nec foramina eo-

spicua

ſpicua, ſella Turcica cum glandula pituitaria, huius locum pus foetidum tenuit, penitus deleta, et non tantum alae minores, maiorumque magna pars, nam pterygoideis proceſſibus, ſed et poſterior corporis pars cum ipſa occipitis oſſis parte ad magnum foramen vſque, deſtructa fuit. Inde caries vlterius progrediebatur ad antrum Highmori, cuius internum latus exeſum, ſiniſtrum os palati, cuius dimidia pars defuit, et ſiniſtrum os maxillare ſuperius, ad primum molarem dentem vſque deſtructum. Laeſerat etiam magnam, et quidem inferiorem et externam petroſi oſſis ſiniſtri partem ita, vt nulla eminentia, nullusque ſulcus eſſet conſpicuus; ſimulque deleuerat cartilagineam tubae Euſtachii partem. Exeſa etiam erat haſce carie deſtructas partes inueſtiens; nullo modo vero cerebrum laeſum, cuius vaſcula tumida quidem, non autem inflammata, ventriculique praeter modum vacui fuerunt. Sic et vacuus ſinus longitudinalis inferior, ſuperior vero ſanguinis loco album polypoſum coagulum continuit. Carie hac, cuius initium cephalaea vehemens, narisque ſiniſtrae obſtructio, de qua aeger anno ante morbi inceſſum querebatur; incrementum vero glandularum colli tumores, per eundem annum frequentiores, indicaſſe videntur, molles oris collique in ſiniſtro latere partes ſenſim affectae ſunt. Primum inflammata eſt tonſillarum ſiniſtra cum aliis oris collique glandulis; tunc et eiusdem lateris parotis. Quum aptis remediis malum non ceſſerit, ſed potius increuerit, venerea lues eius cauſa habita eſt. Quare, licet Cl. Auctor vnguenti mercurialis et calomelis vſum praeferat, propter copioſum tamen humorum ad os affluxum ſublimati grana ſedecim in totidem vnciis aquae fontanae ſoluta ſunt, huiusque ſolutionis mane et veſperi cochleare vnum

p. 94.

p. 70.

p. 72.

(nonne

(nonne nimium?) datum est; vnguento mercu-
rii sub tumori glandularum inuncto, vlceribus
glandularum, ichorem putridum reddentibus, in-
lusione sublimati absterſis. Quae remedia per tres
septimanas exhibita quum aegro nullum leuamen
p. 75. attulerint, deglutitio potius difficilior facta est.
Datae sunt pilulae ex cicutae extracto, Gummi ar-
moniaco, et Rhabarbaro paratae, quibus propter
permagnam alui segnitiem humorumque lentorem
sulphuris antimonii aurati tartarique emetici
grana viginti et quinque admixta sunt. Quae cum
crebriori saliuae vsu, externisque remediis per quin-
p. 77. que septimanas aegrum multum leuarunt. Sensim
nunc tota sinistra faciei pars cum rubore intumuit,
aegerque in sinistro latere coecus surdusque red-
ditus est; sensibus his in dextra pallida et marcida
parte vigentibus. Palatum ipsum putridum, quod
carcinomaticum, et lingua valde turgida. Pulsui
lentori durities accessit. Ad antiphlogistica rursus
confugiebatur, et scarificatio ac destructio glan-
larum tentabatur; et quidem cum aliquo com-
p. 83. modo. Peioribus iterum rebus factis, MORSVS
RVS in auxilium vocatus palatum dissecari et cu-
tae duas drachmas quotidie porrigi iussit. Quo fa-
lores quidem sopiti, sed multae anxietates, cum
agrypnia, (vnici illi ex mente Auctoris cicutae
fectus) obortae sunt; aeger tamen per quinque
septimanas leuatus est. Quibus perlapsis, sensim
p. 85. ex pedibus ad pubem vsque admodum oedema-
sis totum effluxit; vulnus pedis, quod consensu
iterum recruduit; ex ore, aure et naso ichor fe-
tidissimus emanauit; tumorque glandularum mi-
nor molliorque factus est: aeger vero per duas
noctes placidissime dormiuit, et cibos, quos multum
p. 87. appetiit, bene deglutiuit. Quum vero quarto die
post suffocationi iterum proximus esset, glandula-
rum

rum tumores profundius et cum leuamine inciſi
ſunt, qui die decimo quinto ſubito et ita diſparue- p. 89.
runt, vt tota cutis marcida facta eſſet. Sed mate-
ria haec purulenta delata erat ad dextrum pulmo-
nem, inde putridum factum, et puris foetidi, tres p. 94.
per dies continuo ex ore fluentis, menſuram dimi-
dium continentem. Qua de cauſa etiam aeger
quinto morbi menſe, emaciatus, in omnibus reli-
quis viſceribus ſanus, obiit.

Deglutitionis moleſtae et doloroſae exemplum p. 97.
enarratur in obſeruatione ſeptima. Puer nobilis
decennis nec fluida ſine dolore ingerere potuit, in-
geſta potius ructibus reiiciebantur. Conſeruandus
igitur fuit clyſmatis nutrientibus. Quum opii vſus p. 99.
pulſum ſpaſticum, vrinamque pallidam mutauerit,
et dolores minores quidem reddiderit, deglutitio
tamen cum ructibus moleſta manſerit, moſchi quo-
tidie viginti, et poſt triginta, grana data ſunt cum
exiguo tantum leuamine. Quare ſexta ſeptimana p. 102.
Cl. Auctor vnguentum mercuriale cinnabari tin-
ctum ſub ficto anodyni nomine ad inungendum
dedit. Inde tertio die leuis ptyaliſmus cum multo
aegri leuamine. Tabidus vero iſtius ſtatus vlte-
riorem vſum interdixit. Detecto demum illo arti- p. 104.
ficio, quo aeger, anteriorem colli partem in epi-
glottidis circiter regione manu comprimens, de-
glutitionem adiuuit, applicatus eſt pannus mollis
ab omni latere aequaliter gradatus et eleuatus, in
baſi manum latus, in apice vero, qua cricoideam
cartilaginem attigit, vnius tantum pollicis latitu-
dine. Hic, roborantibus humectatus, ab aliis duo-
bus in nucha firmatus eſt, vtroque colli latere ſimul
eiusmodi pannis mollibus expleto. Quibus factis
vna cum interno corticis Peruuiani vſu oeſophago
firmitas, et aegro ſanitas, ſex ſeptimanis elapſis, pe-
nitus reddita eſt. Oeſophagus paralyticus fuiſſe
videtur.

p. 110. Octaua obſeruatio herniae cerebri felicem ſana-
tionem tradit. Haec, oſſibus cranii mollibus, mo-
bilibus, et a ſe diſtantibus, potiſſimum in loco fon-
tanellae ab anterioribus poſteriora verſus trium,
a latere autem duorum pollicum cum dimidio lati-
tudinem habuit, latior tamen antrorſum fuit. Re-
poſita eſt pannis mollibus gradatis circumcirca ap-
poſitis, ſpiritu vini rectificatiſſimo humefactis, et
mitra Hippocratis bicipiti, quae tamen propter tu-
porem primo die accidentem relaxanda erat,
firmatis.

p. 115. Nona obſeruatio de morbo militis agit, qui pri-
mo intuitu pulcherrimus ſaniſſimusque apparuit,
cuius facies paucis tantum ante mortem horis pal-
luit, et in quo etiam poſt mortem nullum corporis
decrementum conſpicuum fuit. Fides igitur pri-
mum querelis eius de languore et aegritudine de-
negata, tunc vero data eſt, cum oculorum immo-
bilitas cum riſibili motu muſculorum faciei anim-
aduerteretur. Triſti fuit animo, ſexta morbi nocte
furibundus, et praeter appetitum ciborum et taba-
ci permagnum, etiam clam crudioribus alimentis
ſedatum, omni pene ſenſatione caruit. Inde vri-
na fuſca, pellucida, parum ſedimenti habens, in
initio non niſi aegro commonefacto, poſtea vero
inuoluntarie et guttatim miſſa eſt. Inteſtinorum
canalis etiam tam parum irritabilis fuit, vt effica-
ciſſima remedia eum ſatis mouere non potuerint,
terque per dies aluus pertinaciſſime obſtructa fu-
p. 125. rit. Quibus elapſis copioſae liquidae foeces inſcio
aegro excretae, et ſtatim poſt mors placidiſſima,
octauo morbi die, ſecuta eſt. Tantae inſenſilitatis
p. 131. cauſa veroſimilis in cerebro reperta eſt. Non tan-
tum enim medulla cerebri ſolito durior fuit, ſed
et ex ea quaſi enatum corpuſculum quoddam, pa-
magnitudine, extus cineritium et velut cartilagi-
neum,

neum, intus vero plane lapideum, quod in medio corporis calloſi ſedem habuit. In abdomine vero valde tumido, praeter cyſtidem ſpiſſa atra bile extenſam, veſica vrinaria, nec inflammata, nec exeſa, lotii duas Berolinenſes menſuras cum dimidia continuit, et ita magna apparuit, vt vterum, qualis in feminis in pariendo mortuis eſſe ſolet, magnitudine ſuperaret. Ab hac inteſtina expanſa, et prorſus vacua ſurſum ad ventriculum, craſſorumque aliqua retrorſum dimota ſunt. Non procul autem a duodeno ieiuni pars ſuperior, quae poſt multam adhibitam operam explicata quartam Berolinenſis vlnae partem aequauit, in inferiorem implicata fuit. Qua inde valde extenſa tumor ortus eſt durus, quatuor pollices longus, nouemque latus, in quo quinque mortui lumbrici reperti ſunt. Et in duobus locis ilei pars ſuperior in inferiorem, digiti ad longitudinem, intricata fuit, ſine multo negotio extricanda. Tenuia inteſtina vndique criſpa, quaſi ad inuaginationem diſpoſita, cum meſenterio nimis breui reperta ſunt. Harum inuaginationum cauſam ſpaſmos eſſe, et tempus, quo mercurius viuus in alui obſtructione exhibendus ſit, difficulter determinari poſſe, demonſtrat Cl. Auctor, vehementerque dolet, quod cadauerum ſectiones tam raro concedantur. Damnum inde oriundum illuſtrat exemplo feminae in pariendo denatae, quarum liberi gemini, vel ſaltim vnus, conſeruari potuiſſent; alioque Medici Practici peritiſſimi, qui omni opera cor reperire non potuit, pericardio tantum praeter naturam cum vicinis partibus connato.

p. 128.

p. 133.

p. 136.

p. 139.

Aliud inuaginationis inteſtinorum exemplum exhibet obſeruatio decima. In gracili enim et iuvene milite, qui ſubitaneis colicis doloribus affectus, nullis licet auxiliis neglectis, hora decima octaua

p. 141.

obiit, ilei pars ſuperior in inferiorem implicata fuit. Illa ex hac, extenſa, et in variis locis gangraenoſa, multo difficilique negotio explicata apparuit cum meſenterio ſuo admodum contracta, vacua et illaeſa, longitudinemque habuit vnius Berolinenſis vlnae cum aliquot pollicibus. Fuerunt vero intestinorum nonnulla contracta, nonnulla, vti totum colon, praeter modum expanſa, omnia vero irregulariter ſita, et vacua. In ſolo enim ventriculo ingeſta, maximam partem immutata, reperta ſunt. Omentum ventriculum verſus in maſſam conuolu-
p. 144. tum et retractum erat. Huius peruerſi inteſtinorum habitus cauſa videtur materia arthritica retrograda. Proxima illa vero mortis fuit ſuffocatio.
p. 143. Pulmones enim multo effuſo ſanguine turgebant; in poſteriori cordis ventriculo multum fuit coagulati ſanguinis, vti et polypoſum coagulum in aorta, eiusque primis ex arcu orientibus ramis; anterior vero ventriculus cum pulmonali arteria prorſus vacuus.

Vndecima et duodecima obſeruatio ex obſtetricia arte depromtae ſunt. Gibboſa femina, poſt
p. 145. primum difficile puerperium continuum verſus dextram vmbilici regionem dolorem, in grauiditate altera valde maiorem, paſſa, vtero in eodem dolen-
p. 152. te loco rupto, obiit. Fiſſura haec, per vaginam tantum, ſectione cadaueris denegata, diſquiſita, in dextro fundi vteri, ibi valde attenuati, latere, et dimidium pedem longa, apparuit. Cauſa eius fuit magnum infantis caput, cuius apertura, morte infantis certo agnita ab Auctore ad matris vitam conſeruandam propoſita, non permittebatur, et quod vtroque hydrocephalo affectum duas aquae menſuras continuit; in quo vero os latum, nullusque naſus conſpicuus fuit. Vertebrae colli et dorſi, non autem vt in ſpina bifida, a ſe inuicem diſtan-

ctae,

ſtae, illae lumborum autem et ſacri oſſis rite connexae fuerunt.

In altera femina labia a frequenti contactu in- p. 155.
tumefacta et gangraenoſa diſſecanda, caputque in-
fantis, quod viginti quatuor horis poſt aquarum p. 157.
effluxum primum apparuit, ex minori peluis cauitate, in cuius ſuperiori apertura haeſit, in maiorem reprimendum fuit. Quod neceſſarium erat, quum p. 156.
omnia alia auxilia fruſtranea, doloresque ad partum, quos in debilibus Laudano liquido SYDENHAMI, in robuſtis ſpaſmo affectis puluere, cui opii granum vnum, quatuorque Ipecacuanhae admiſcet, excitare ſolet Cl. Auctor, in hac imbecilli femina plane ceſſauerint. Eadem puerpera lentae febris, p. 159.
iectione materiae purulentae feliciter finitae, et femoris dextri, cuius cruralis neruus ab infantis capite forſan compreſſus, paralytici, tandemque tabidi, et vltra duos menſes claudicantis, veſicatoriis vero et cortice Peruuiano reſtituti, incommoda diu ſenſit: poſtea autem perfecte ſana, rurſusque grauida facta eſt. Infanti, in quo fere nulla p. 158.
vitae ſigna, ſuffocationi proximo, fumi Nicotianae in anum, eiusdemque ac aëris in os inſpiratione, cum aliis ſolitis remediis coniuncta, poſt dimidiam horam vita reddita eſt. Auxilia haec, vt efficaciſſi- p. 161.
ma laudata, nihil praeſtiterunt in alio infante. Iſtius caput, procul ab oſſibus pubis extrorſum haerens, Auctorem commouit, vt infantem pedibus, in contracto vteri fundo decuſſatim poſitis, feliciter ſolutis extraheret. Fuit vero ita magnum, et ex tam duris, iam coalitis, oſſibus compoſitum, vt, licet naturalem ſitum habuerit, multis demum laboribus ceſſerit. Et in his adiuuans Chirurgus p. 165.
maiorem vim intuliſſe videtur. Luxata enim fuit prima colli vertebra. Situs parturientium com- p. 162.
modus ſimul egregie explicatur, oſtenditurque, si- p. 167.

GAULTI methodum ea ex ratione non commendandam esse, quod in iunioribus symphyses cartilagineae affluxu humorum tum copioso, vterique increscentis pressu, satis dilatentur, in senioribus vero cartilagines admodum durae operationem difficilem et periculosam reddant.

p. 168. In cataractae extractione, de qua obseruatio decima tertia agit, Cl. Auctor primum RICHTERI, in duobus posterioribus exemplis VOGELII Lubecensis, cum quo maxime in aegris post operationem tractandis consentit, methodum secutus est.

p. 171. Aliquot horis ante operationem laudani liquidi SYDENHAMI guttas quindecim porrigit. Bulbum oculi nullo instrumento firmare solet, reiicitque digitale RVMPELTI, commendat potius annulum ex stanno vel argento paratum, soliti lapidis loco lata prominentia, cui cuspis affigenda, instructum. Hunc medio digito ita inferendum, vt prominens cuspis oculi bulbum firmet, ab OLLENROTHIO inuentum esse, tradit. In inferiori parte corneam oculi sursum et extrorsum directi dimidia linea procul ab albuginea secat. Ad lentis capsulam destruendam vtitur ancipiti, antrorsum quasdam lineas

p. 175. lato instrumento, acui simili. Camphoram, quam aquae frigidae saturninae, ad lintea humectanda adhibitae, addere solet, post ligaturam oculi, secundo die post operationem factam, non amplius addit. Nono, decimo, vel et duodecimo die, cum vulnus vnitum est, nec dolor, nec rubor sentitur, vicissim dimidias per horas in obscuro sub vmbella oculum detegi sinit, plenariam vero detectionem non, nisi omni dolore lacrymarumque fluxu absente, permittit, et tunc adhuc in initio aëre libero oculum peplo albo obtegi iubet. Hac sua methodo demonstrata quatuor illarum a se feliciter per-

p. 177. actarum operationum historias recenset. In prima

ma oculus vehementer motus, quo tamen operator
se perterreri non patiatur, extrorsum non dirigen-
dus fuit; lens permagna, ossea duritie, cuius capsu-
la non conspicua forte cum illa connata, sponte
excidit, et decimo die vulnus vnitum est cicatrice
primis diebus quidem eleuata et laxiori, tum vero,
vti saepe solet, firmiori, et vix conspicua. In se- p. 180.
cunda lens etiam sponte euasit, et capsula, licet pel-
lucida, destructa est. In tertia oculi mobilitas et p. 181.
sensilitas magna, lensque post capsulae destructio-
nem primum extracta multas peperit difficultates.
Quarta, in rustico tabido, quem amentem et scor- p. 184.
buticum esse, postea et liuidis corporis maculis
cum intolerabili oris foetore die decimo sexto
animaduersis, apparuit, instituta multum periculosa
fuit. Quum enim oculus valde hinc et illinc mo-
veretur, adiuuansque Chirurgus palpebram supe-
riorem decidere sineret, inferior iridis pars duas
lineas lata simul dissecta est, reddita tamen videndi
facultate inde non impedita. Nec eam impediuit
effluxus humoris vitrei, cuius non solum dimidia
pars vna cum lente, sed et noctu post aliqua adhuc
emanauit. Oculi dextri operatio, cum illa sinistri p. 190.
simul tentata, propter magnam aegri inquietudi-
nem tres per septimanas dilata est. Eandem
ob oculi mobilitatem culter RICHTERI iterum ex-
trahendus, et cornea forfice conuexa DAVIELII
dissecanda fuit; quae tamen vulnus contusum red-
dere solet. Lens magna et spissa multo tantum
negotio extracta est. Iris trium linearum latitudi-
ne tertio die prolapsa, butyro antimonii cum fotu
lactis per duodecim dies, quotidie bis, applicato re-
posita est: corneae opacae simul factae post alio-
rum remediorum frustraneum vsum vnguento exp. 193.
viginti granis mercurii praecipitati rubri, decem
tutiae praeparatae, et quinque cum nitri puri, tum

camphorae cum drachma vna axungiae ſuillae parato, et lentis magnitudine bis vel ter quotidie cantho oculi externo illato, pelluciditas reddita eſt; pupilla vero aliquantum longitudinalis manſit. Aeger vero duos per menſes in noſodochio commoratus, quum in dextro obiecta maiora diſtinguere, in ſiniſtro vero oculo ex voto videre potuerit, vlterius non exſpectauit, ſed diſceſſit.

p. 196. In vltima denique obſeruatione de luxationibus praeſertim illa humeri, egregie diſſerit, eiusque nonnulla exempla enarrat, et aſſeuerat, ſe rariſſime indigere inſtrumentis ad luxata oſſa reponenda.

XIV.

Experiments eſtabliſhing a Criterion between mucaginous and purulent matter. And an account of the retrograde motions of the abſorbent veſſels of animal bodies in ſome diſeaſes. Lichfield; printend for J. Jackſon, T. Cadell, London; and W. Creech, Edinburgh. MDCCLXXX. 8. mai. pagg. 134 *)

i. e.

Experimenta ad ſtabiliendum diſcrimen inter materiam mucoſam et purulentam. Accedit tractatio de motu retrogrado in vaſis reſorbentibus corporis animalis in morbis quibusdam.

p. 127. Auctor huic diſſertationis, vti ex vita eius ſub finem annexa patet, Cl. CAROLVS DARWIN, natus in oppido Lichfield 3. Sept. 1758, Oxoniae et

*) Verſio germanica exſtat *in den kleinen mediciniſch-chirurgiſchen Abhandlungen, aus verſchiedenen Sprachen überſetzt, 1ſter Th. Leipz.* 1781. 8. *S.* 3. *etc.*

et poſtmodum Edimburgi doctrinis medicis addiſcendis ſe dicabat, praeſertim Cl° DVNCAN, qui et mortuo monumentum ex marmore erigendum curauit, et relictorum curam in ſe ſuſcepit, acceptiſſimus; paucis ante obitum diebus 1778 primus numum aureum, a ſocietate filiorum AESCVLAPII in academia Edimburgenſi praemii loco expoſitum *), reportabat; omnes vero, quas excitauerat, exſpectationes ſubita eius mors fefellit, quum inter labores anatomicos febris petechialis eum inuaderet, qua die 15. maii eiuſdem anni viuis ereptus eſt.

In tractatione ipſa primum examinantur ſigna p. 4.
diagnoſtica, quibus plerumque vti ſolent medici ad diſtinguendum pus a muco. Iniectio in aquam ideo ſuſpecta eſt, quia mucus earum partium, ad quas aëri non patet aditus, vt vrethrae et ventriculi, ſemper ſubſidet; quia, ſecundum experimentum Cl. FORDYCE **), mucus pulmonum, aëre priuatus, itidem fundum petit; quia denique mucus adeo coniungi poteſt cum pure, vt aquae innatet. Huc accedit, quod is mucus, qui mane aquae ſupernatat, veſperi, ſibi ipſi relictus, ſubmergatur. Color itidem fallax ſignum praebet, vbi commemora- p. 6.
tur exemplum hominis, qui per varios annos, integra

*) Delineationem huius numi, qui imperialem noſtrae monetae aequat, ipſe titulus libelli exhibet: in parte auerſa, ſi nos quidem recte iudicamus, AESCVLAPIVS ante aram accenſam, dextro genu in terram proiectus, manu dextra acerram, vt putamus, ſiniſtra ſerpentem tenens, cum inſcriptione: VITA BREVIS ARS LONGA. Pars reuerſa ſeptem lineis inſcriptionem hanc ſiſtit; H. N. VIRO GENER. CAROLO DARWIN. VNA VOCE DECREVIT SOD. FIL. AESCVLAP. 4TO NON. APRIL. MDCCLXXVIII. Numus anſa inſtructus eſt, quo ſuſpendi queat.

**) de catarrho. Edinburg. 1758. Cap. 16.

ſanitate gaudens, quouis mane paruam portionem
p. 7. materiae nigrae exſcreauit. Odorem pus interdum
plane nullum prodit: communis contra coryza
frequenter admodum ingratum. Neque pus fem-
p. 9. per comes eſt febris hecticae. Ergo aliis experi-
mentis haec res indiget, quae Cl. Auctor ſuccinctis
p. 22. recenſet, et inde conſectaria haec elicit: pus et
mucus in acido vitriolico ſoluuntur, prius tamen
minus; addita huic ſolutioni aqua, mucus vel in-
natat, vel floccos format, pus vero praecipitatur,
et ſub agitatione mixturam vniformem turbidam
reddit; in acido vitriolico diluto pus diſſoluitur,
non vero mucus, vti quoque in ſolutione ſalis ma-
rini; acidum nitroſum vtrumque ſoluit, aqua ad-
dita pus praecipitat, fluido ſupernatante pellucido
et viridi, ſed aqua cum ſolutione nitri fluidum co-
loris ſordidi efficit; lixiuium alcalinum vtrumque
ſoluit, licet mucum difficilius, ex eodem vero
aqua pus praecipitat, non autem mucum; ſolutio
mercurii ſublimati mucum, non autem pus co-
gulat. Acidum igitur vitriolicum concentratum
aeque ac dilutum, et lixiuium alcalinum diſtinguunt
pus a muco; ſicut et acidum vitriolicum pus
a lympha, et lixiuium alcalinum a ſero. Si igitur
materia ſcreatu reiecta in his menſtruis ſoluitur,
et aqua affuſa praecipitatio oritur, pus; ſin minus,
mucus eſſe iudicabitur: quod etiam valet, ſi ante-
dente quoque tempore ac trituratione in alcalino
lixiuio ſolutio nulla obtinetur *).

Sequens diſſertatio ſpeciminis inauguralis loco
ſermone latino ſcripta fuit, at nunc in anglicum
verſa

*) Dubia aduerſus haec experimenta indeque petita
conſectaria mouerunt Cl. IOH. CHRIST. SALMUTH
in diſſ. inaug. *de diagnoſi puris*, Gotting. 1783. et
Cl. MERK in *medicin. Bibliothek*, *herausgegeben von*
L. F. BLUMENBACH, *Iſten Band. 3tes St.* 542. *Seit. ff.*

uerſa hic exhibetur. Primo loco enumerantur p. 30.
ſa lymphatica diuerſarum partium, cum conne-
ione eorum cum glandulis conglobatis et ductu
horacico: poſtea de valuulis eorum diſſeritur, do- p. 34.
eturque, ſi in morbis quibusdam vaſa vel valuulae
orum ſtimulo praeternaturali afficiantur, vel para-
yſi tangantur, motum retrogradum exiſtere poſſe,
aluula non prorſus ſe occludente. Tum de re-
orptione per orificia vaſorum agitur, quae nullum
egurgitationi fluidorum obſtaculum praebere do-
et veſica vrinaria inuerſa et aqua repleta, quae
breui tempore vacua redditur. Nonnunquam val-
vulae ipſae vitiatae videntur, vt in diabete et ſcro-
phulis, quae quidem conditio cum vitiis valuula-
rum aortae comparari poteſt. Comparantur etiam
reliquae valuulae, v. c. ventriculi, coli, puncta lacry-
malia, vaſa capillaria, cum valuulis lymphaticorum,
et de motu retrogrado in illis ad ſimilem mutatio-
nem in his concluditur. De communicatione ca-
nalis alimentorum cum veſica vrinaria, vbi expe- p. 42.
rimentum attentione vtique dignum enarratur,
quum poſt largam doſin potus punch, dein ex eo-
dem hauſtum nitrum, poſtea comeſtum aſparagum
rurſusque aſſumtum punch, vrina fortem aſparagi
odorem ſpirauit, et charta bibula eidem immiſſa
ſub combuſtione praeſentiam deflagrantis nitri de-
clarauit: ſerum autem ſanguinis, protinus poſt
aſſumta ex vena miſſi, neque aſparagi, neque nitri
partes obtulit. Simile in ſubiuncta nota exemplum p. 123.
allegatur icterici, poſt idem potus genus multo di-
lutiorem vrinam emittentis; cuius ſimul curatio
per electricas concuſſiones regioni hepatis appli-
catas enarratur. Poſtea de diabetae variis ſpecie- p. 47.
bus, nempe de eo ab ebrietate, ſi aquoſa vrina poſt
aſſumtum ſolum ſpirituoſum copioſa redditur, et
de chylifero; diabetem non, vt creditum eſt, a ſan-

guifi-

guificatione laesa oriri, licet saepe cum eadem
iungatur; de resorptione aquae ex atmos
eiusdemque per vrinam egressu, seu diabete
so, de diarrhoea a refrigerio, item de diarrhoea
liaca; de diabete mucoso, seu vrina tenaci,
dum coagulabili, a resorptione humoris in hy
pe partiali collecti oriri viso, et saepe hydrop
dromo. Tunc de curatione diuersarum
specierum diabetae. In chyloso post vsum
cuantium ex ipecacuanha et rheo multum
p. 56. tribuerunt repetitis et largis dosibus tinct
cantharidum. Noster commendat terram ex
tione aluminis per alcali fixum praecipitatam
drachmam dimidiam sexta quauis hora cum
granis rhei exhibitam, ita vt aluus quotidie
retur. Opus est etiam victu blando, emulsion
aquis bristoliensibus et malloccensibus.
methodus locum habet in diabete aquoso,
men multo cum emolumento frictiones cum
in tota corporis superficie addidit Cl. Auctor.
betes mucosus remedia antihydropica exigit.
finem huius tractationis historia aegri diabet
stincti adducitur, cuius morbi decursus in
p. 116. cta nota vberius enarratur; sectio nihil morb
offerebat praeter renem sinistrum admodum
pelui conspicuum, et plurimas glandularum
senterii multum dilatatas.

p. 60. Qui potui indulgent, in iis paroxysmus
tatis aut vrina copiosiore pallida, vel copios
dore, vel vomitu aluinisue deiectionibus ter
tur; aut in stuporem somnumue absque euacu
nibus transit: priores in diabetem et hydrop
posteriores in arthritidem, calculum, lepram
cliuiores redduntur. Prius a vasis absorben
antea irritabilioribus, sensim paralyticis red
ideoque functiones minus conuenienter ob
bus,

pendet: inde reliqua ſymptomata anaſarcae
plicantur, aeque ac virtus medicamentorum eua-
uantium, quae reſorptioni ex cellulis, ideoque
etrogradae actioni ſyſtematis lymphatici reſtituen-
e fauent. De ſudoribus, praeſertim capitis et p. 70.
uicis, ab eodem motu retrogrado in his morbis
oductis, vbi leuamen ab iisdem in anaſarca pul-
onum percipiendum forte ſignum pathognomoni-
um praebere poſſet ad diſtinguendum hunc mor-
um ab hydrope thoracis vel pericardii, quod ex p. 103.
nexis diuerſis morborum hiſtoriis clarius patet,
quibus etiam effectus digitalis purpureae recen-
tur, cuius folia recentia ad quatuor vncias in
uabus menſuris aquae ad conſumtionem dimidii
oquuntur, additis poſtea, licet non ſemper, vnciis
uabus ſpiritus vini, cuius remedii iam vnum, iam
o cochlearia quauis hora vel duabus horis aſſum-
poſt aliquot doſes vehementes euacuationes per
vomitum, aluum et vrinam excitabant cum felici
pe morbi abolitione. Anaſarcam pulmonum
idem deſignat anxietas tam ſub decumbendo,
quam ſub ſurgendo, ſed in vtroque caſu breui tem-
poris interuallo tranſiens; hydropem pericardii
ſilis decubitus horizontalis, quae quidem mo-
menta abſunt in hydrope pectoris. Annon quo-
que, conſideratis effectibus digitalis purpureae,
iuſdem vſus in hydrocephalo interno, hydrocele
et tumoribus oedematoſis articulorum tentari
queat, ſub finem harum obſeruationum Cl. Auctor p. 115.
quaerit.

Poſtquam deinde de phaenomenis translatio- p. 72.
is puris, chyli, lactis et vrinae, deque effectibus
purgantium abdomini applicatorum diſſeruit, recen-
ſet affectiones morboſas a motu retrogrado oriun- p. 81.
das, nempe in canali alimentorum ruminationem,
ructum, pyroſin, huicque cognatam cardialgiam,
vomi-

vomitum, ileum, globum hyſtericum et vomitionem ſimilis cauſſae, borborygmum aliasque affectiones hyſtericas, tandemque hydrophobiam, ſedes an in cardia ſit, quaerit; in ſyſtemate lymphatico catarrhum, ſaliuationem, nauſeam, rhoeam lymphaticam et coeliacam, diabetem, dorem lymphaticum et aſthmaticum. In ſyſtemate arterioſo mentionem facit motus retrogradi per microſcopia in vaſis capillaribus conſpecti, quaerit, annon ſimilis motus cordis in affectibus hyſtericis et a timore palpitationem cordis pro-
p. 90. cat? Dein de motu retrogrado ſuccorum in vegetabilibus agit, ac denique cauſſas motus retrogradi animalis expendit, quas in irritabilitate ponit, fibrillarum tamen non tam quantitate, quam qualitate, conſiderata; quae quum in minoribus vaſis fibrisque muſcularibus minus ſenſibus pateant, quam in canali alimentorum phaenomena nauſeae et vomitus, in his explicandis vberius verſatur, et
p. 18. inde, qua ratione motus naturalis reſtitui debeat, docet.

XV.

ANDREAE IOH. RETZII, Ph. M. Prof. reg. et Ord. def. etc. Prolegomena in pharmacologiam regni vegetabilis, priuatarum inſtitutionum vſui deſtinata. Lipſiae, in bibliopolio I. G. Müllerino. 1783. 8. plagg. 5.

Quae vere prodeſſe poſſint medico, dum artem facit, medicamenta compoſituro et applicaturo, obſeruationes chemicas, materiam et formam pharmacorum vegetabilis proſapiae illuſtrantes, tam breuiter tamque erudite complectitur Cl. Auctor, corporum naturalium et chemicae cognitione laude florentiſſimus, pauculis his paginis, vt ad hanc normam exactas materiae medicae, ex triplici naturae regno petitae, inſtitutiones optare nemo non poſſit,

poſſit, cui vera pharmacologiae cultura curae cordique eſt. Principia medicamentorum vegetabilium, per quae operantur, ſeu vt vocat *effectiua*, Cl. Auctor reduxit ad octo genera, quorum ſingulorum dotes commemorat. Sunt vero *ſalinum eſſentiale*, cui ſubiecit ſaccharinum, tartareum, acerbum, amarum, benzoinum, quodque rarius euolutum occurrit, alcalinum; porro *oleoſum*, tum vnguinoſum, tum aethereum; *gummoſum; reſinoſum; glutinoſum; amylaceum*; denique *cauſticum* et *colorans*. Adiicit tamen vt ſingularia camphoram, ceram et gummi elaſticum; de amaro aloëtico, quod a bile et lixiuioſis dulceſcit, de materia croci hermaphroditica BOERHAAVII, deque narcotico et ſulphureo adhuc dubius. p. 17.

Ex animaduerſionibus, quibus iſta illuſtrauit, delibamus has: Acidum vegetabile vnum idemque eſſe, variam vero ipſius formam deberi concretioni variae. Acerbum principium educi commode exp. 22. gallis aqua frigida infuſis, infuſo filtrato, exſiccato, vtque reſina ſecedat, denuo aqua pura ſoluto. Puri ſolutio cum ſale tartari feruet et ab eo ita turbatur, vt cadat ſedimentum fuſcum, in acido nitri haud ſolubile, inter calcinandum fumans cineresque cum efferueſcentia in nitri acore ſolubiles largiens; ferri ceteroquin prorſus expers. Alcali volatile p. 24. et acidum phoſphori e vegetabilibus, vt veriſimile ſit, tranſire ad animalia. Extractiuam materiem plantarum eſſe farraginem reliquorum principiorum ſolubilium. Ranceſcentiam pinguium eſſe leuioris fermentationis ſpeciem, quae calore producatur. Congelationem oleorum quorundam aethe- p. 34. reorum proficiſci ab immixto vnguinoſo; (Sed nonne antea experimentis confirmandum eſſet, vnguinoſum ab oleo aethereo in ſublime rapi et quaſi volatile reddi poſſe?) Cauſticum principium, quale p. 49. inſit

inſit ranunculis, aro aliisque, eſſe volatile, [illegible] aqua et ſpiritu vini, vrere, exhalare ex ſuccis [illegible] tibus euaporatis ſic, vt cutim inflammet, differ[illegible] ab acri aromatico, exſiccando perire, ſui ge[illegible] eſſe. (Num ad ſalinum poſſet referri?) [illegible] riem colorantem, cui et ſapor et odor plantae [illegible] eſſe reſinoſae indolis, facile tamen deſtruen[illegible] Gummi Copal a vini ſpiritu propterea non diſſol[illegible] quia iſte non ſatis incaleſcat. Gummi laccae non ceram, ſed reſinam eſſe. Experiundum eſſe, num a cera vere differat oleum nuciſtae. (Differre vero conſtat, vt a ſeuo oleoue concreto cera, modo genuinum ſit. Saepe enim cera admixta corrumpitur). Cur roſae, enulae, ſambuci oleum ſtillatitium ſebaceae ſint conſiſtentiae aeque ambigit, atque cur ſemperuiui ſuccum cogant alcohol vini e lixiuioſa. Vltimo de forma remediorum vegetabilium aptiſſima ad efficaciam medicatam differit Auctor, legesque ſancit vſu probatas, quibus praecipitur, quae ſint in ſucco recenti inſpiſſatoue, quae in infuſo vel decocto, conſerua vel puluere danda, et ex quibus aqua ſtillatitia, ſpiritus abſtractus, tinctura et eſſentia vtiliter parentur.

XVI.

K. F. UDEN *über die Erziehung der Töchter des Mittelſtandes. Stendal* 1783. 8. 15 *Bogen.*

i. e.

De puellarum mediae conditionis educatione, auctore K. F. UDEN.

Plurima quidem noſtris temporibus de puerorum, perpauca vero de puellarum educatione conſcripta ſunt, quumque vtique multum intereſſe, vt ad bonas vtilesque rei publicae matres formandas puellae

puellae vtili quodam ipſisque accommodato modo educentur, his pagellis Cl. Auctor partim de phyſica, partim et de morali educatione puellarum doctrinam complexus eſt.

Primum *de generatione* agitur. De frequentibus hodie mortibus ac de cauſſis in ſequiori ſexu generationem partim impedientibus, partim et ad aegram ſobolem progenerandam conferentibus. Vitam inprimis mollem, peruerſos mores, veſtimenta ſequiori potiſſimum ſexui noxia cet. accuſat.

De puella in lucem edita. Omnem puerperam, ſi vllo modo fieri poteſt, infantes ſuos lactare debere. Puellas inprimis, quum pueris iam in primis vitae ſuae diebus debiliores ſint, (?) nullo alio alimento, quam lacte, veſci debere. De carnis eſu puellis et eam ob cauſſam concedendo, quod pulchritudinem conciliet (?). De aquae potu, puellis maxime conueniente. Salem adeo puellis noxium eſſe. De vino, ſaccharo, quod contra BOERHAAVII mentem Noſter ſecundae valetudini valde infenſum eſſe putat. p. 22.

De diſpoſitione ſexus ſequioris. Ad philoſophiam artesque liberales mulieres quidem non tali modo, quo viri, diſpoſitas eſſe, virtutis vero palmam iis merito tribuendam eſſe. De nubilibus puellis ab omni, quantum poſſibile eſt, cum aliis commercio arcendis! De his, quae aliarum puellarum educationi praeſunt, de puellis in diuino cultu inſtituendis, de aliis et inutilibus, quibus puellae inſtitui ſolent, cet. p. 58.

XVII.

REBALDI IVSTINI BRVGMANNS, A. L. M. Phil. Doct. Med. Cand. Acad. Reg Scient. Diuionenſis ac Soc. Groning. pro excolendo Iure patrio Soc. Phyſ. Med. Hagen. a comm. litt. Diſſ. ad quaeſtionem ab ill. acad. reg. ſcient.

ſcient. Diuionenſi propoſitam: Quaenam ſunt plantae inutiles et venenatae, quae prata inficiunt, horumque imminuunt fertilitatem; quaenam porro ſunt media aptiſſima illis ſubſtituendi plantas ſalubres ac vtiles nutrimentum ſanum ac abundans pecori praebituras? praemio condecorata. Groningae apud P. Dockema, bibliopolam. MDCCLXXXIII. 8. pagg. 90.

Tradidit Cl. Auctor in diſſertatiuncula, cuius ſummam iam exponemus, libellum, quem anno 1781 ab academia Diuionenſi praemio condecoratum eſſe alio tempore monuimus; auxit vero eundem poſtea, variis et aliorum auctorum opinionibus, et propriis quibusdam obſeruationibus, quas diſſertatione academiae iam tradita, demum inſtituerat. Meruit vero profecto hisce laboribus praemium, quod academia Ipſi conceſſit, neque noſtro indignus nobis videtur commendatione, cum ex omni rei tractatu appareat, eundem probum atque expertem eſſe agricolam, patriae ſuae procul dubio perquam proficuum. Superfluum vero foret, virum praeconiis extollere vellemus; quem rerum
p. 1. ipſarum recenſione melius commendabimus.

Diſtribuit omnem tractatum in tria capita, quorum prius plantas pratorum inprimis inutiles tradit. In hac re exponenda ita verſatus eſt, vt prius vtilium inutiliumue plantarum notionem definiat, quarum illae pecoribus ſalutares, hae vero non ſolum armentis minus proficuae vel noxiae, verum quoque pratorum foecunditate inimicae conſpiciuntur. Dein foecunditatis pratorum ideam ſtabiliendam ſibi ſumſit, quam a copia plantarum ſalutarium in eadem terra vegetantium determinandam eſſe

esse suadet. Existimat enim nullum reperiri terrae genus, quod non huic vel illi plantarum familiae alendae aptum reperiatur, adeoque ad vtilitatem plantarum, quas proferat, omnino respiciendum esse si de soli bonitate sit sermo. Affert vero, vt huius opinionis veritatem corroboret, varia plantarum in maxime sterili arenoso ue solo nascentium exempla, ex quibus probari posse Auctori nostro videtur, causam nimiae illius sterilitatis, quam desertis Arabiae, et patriae nostrae ericetis fabulosis obiiciunt, non tam in arenae ipsius alendi impotentia, quam in externarum quarundam causarum vegetationi contrariarum agendi vehementia esse quaerendam. Inter has turbonum prae caeteris mentionem fecit, per quorum vehementiam non solum suprema terrae strata huc illucque continuo pellantur, verum quoque semina ipsa, ipsique radicum surculi circumiiciantur Multum huic opinioni inesse verosimilitudinis, quilibet Cl. Auctori facile concedet, qui eiusmodi regionum indolem vnquam est contemplatus. Reperiet enim colles aliaque loca accliuia, eo magis sterilescere, quo magis ventorum impetui exposita conspiciantur. Omnem vero huius sterilitatis, de qua nunc sermo est, causam, ab externis produci vegetationis obstaculis, vel ea de causa nobis non videtur, quoniam haec ipsa sententia opinioni, quam Cl. Auctor de foecunditate terrae sensim decrescente nos docuit, contraria esse quadam ex parte videtur. Ratur enim fertilitatem agrorum volatilibus in iisdem contentis particulis suam debere originem, quae ex putrescentibus generentur corporibus, terramque ipsam his particulis tum per plantarum radiculas, tum per aëris calorisque exterioris actionem orbatam, viliorem steriliorem-que sensim euadere, nisi pauperiei huic timendae stercoratione aliisque eandem propellentibus me-

diis obuiam eatur. Arbitratur quidem atmosphe-
rae ipſi partes ineſſe, quae, humum continuo hu-
mectando, ſterilitati abſolutae contrariae ſint, eas ta-
men ad fertilitatem terrae conſeruandam, prorſus
non ſufficere, quilibet vel nobis non monentibus
intelliget. Pereunt vero ſecundum Auctoris noſtri
opinionem plantae nutrimento pecorum aptae,
quando ſterilior pauperiorque euadit terra, quo-
niam eaedem humum maxime pinguem requirant,
iisque aliae minus ſalutares ſuccedunt, quarum et
ſemina et radiculas tamdiu ſub terra latuiſſe exiſti-
mat, quamdiu eadem ſucco nutritio et efficaciore
et copioſiore ſcatuerat. Sicque exiſtimat Trifolio,
Bellidi, Hedyſaro, Medicagini aliisque, quibus vul-
go vtimur pabuli ſpeciebus, tandem Equiſeta, Vac-
cinia, Ericas, Iberides aliasue inutiles plantarum fa-
milias ſolo firmiore ſterioliore gaudentes, antea
vero tranquille in terra latitantes poſſe ſuccedere.
Varia vero ſunt, quae impediunt, quo minus huic
Cl. BRVGMANS opinioni ſuffragium noſtrum ferre
poſſimus. Primo enim inter omnes conſtat vege-
tabilia terrae commiſſa, vel vegetationis ſigna pro-
dere, vel perire prorſus atque deſtrui. Fluidorum
enim quibus continuo humectantur abundantia,
non poteſt non eadem et emollire, et ſoluere, qui-
bus mutationibus et vita vegetabilis inchoatur, et
putrida eorundem mors acceleratur. Deinde con-
ſtat vix vllum, ne fertiliſſimum quidem reperiri
pratum, in quo vtiles modo ita diſſeminatae cerna-
tur plantarum familiae, vt inutilibus, vel noxiis, non
commiſtae ſint. Facillima praeterea erit errandi
occaſio, ſi prati cuiusdam incolas inueſtigare qua
voluerit, cum vna alteraue plantarum ſpecies hinc
inde per pratum diſperſa botanicorum vel perſpi-
caciſſimorum oculos haud difficulter ſubterfugiat.
Etiamſi itaque in eo, cum Autore Noſtro conſen-
tiamus;

tiamus; quamlibet plantarum familiam ſua gaudere humi conditione, vtilesque in pingui laetius creſcere terra, inutiles contra ex ſterili incultoque vtplurimum propullulare ſolo; difficilius tamen nobis perſuadebit, ſegnia eſſe, neque tamen interitui obnoxia, plantarum ſemina, ſi terrae naturae ſuae non accommodatae fuerint mandata: quotidiana enim nos docuit experientia, putreſcere plantarum germina, quae humi minus conuenienti fuerint commiſſa. Cum vero negare non poſſimus, reperiri ſaepius plantarum genera in locis, in quibus antea non fuerint, probabile nobis eſt, earum ſemina per ventum aliasue cauſas occaſionales illuc delata, tam diu ab indigenis eiusdem regionis ſuffocari, quam diu hae, nutrimento apto non deficiente, iuſto copioſius creſcant. Generalioribus hisce notionibus exhibitis, herbas varias pabulares, earumque beſtiis exhibendi modum recenſet. Gramina ſeminibus minoribus caeteris omnibus praefert, quae trifolia ſequuntur. Medicago ſatiua in foeno exhibita membrorum rigiditatem (*Fourbure*) incitat, recens eandem tollit. Catalogum hunc excipit inutilium herbarum nomenclatura, in qua conficienda ſoli foecunditatis viriumque habere rationem ſtuduit. Satisfecit officio, quod ſibi propoſuerat, neque magni momenti ſunt, quae moneri forſitan poſſent.

Tranſeamus iam ad alteram libelli partem, in qua p. 33.
de plantis venenatis vberius egit. Spargunt eaedem odorem ſaporemue adeo ingratum atque nauſeoſum, vt a brutis non aegre dignoſci atque intactae relinqui poſſint. Diſpeſcuit vero omnium venenorum enarrandorum cenſum in duas claſſes, in venena acria nimirum atque narcotica. Inter priores Aconitum autorum nominaſſe liceat, quod HOFMANNI auctoritate fretus, acribus annumerat

venenis. Caltham paluſtrem, et boues necare, et hominibus veſicam in cute tollere aſſerit. Droſeras cutim arrodere, alibi legiſſe vix memini. Fungorum qualitatem nocendi cum aetate auctam, ab inſectulis deducit, quae, vti cuilibet conſtat, in iisdem, inprimis vetuſtioribus, copioſe reperiuntur. Intereunt ſi aceto immittuntur fungi, ſuaque pervantur virulentia. Aget vberius de inſectulis hisce in ſingulari libello, cui titulus erit *de plantarum incolis*. Omnes ranunculorum ſpecies homini noxiae habentur, ſolo polyanthemo et repente excepto. Summa vero, quae his plantis cum R. acri et bulboſo eſt ſimilitudo, ſi vel maxime experimentis, cum iisdem coeptis, non meliora doceremur, huius aſſerti veritatem dubiam quadam ex parte redderet. Ficariae vero folia aceto confecta, vel carnium iuribus cocta a noſtris lubenter comeduntur. Fruſtra Ran. aruenſem, cuius acredinem KRAPFII experimenta detexerunt, quaeſiuimus.

Ad narcotica vmbellatae pertinent plantae, quarum agendi modum omnes nouimus. Chaerophylli temulenti, de cuius virulentia vel GMELINVS dubitauerat, vires in ſemet ipſo tentatus, (quod in pluribus ab Auctore noſtro factum eſt) innoxias eſſe affirmatur. In Convallaria maiali e contra narcotici quid reſidere, ob cephalalgias, a florum effluuiis ortas, Auctori noſtro videtur. Expertae vero vires horum plantae variorumque eiusdem praeparatorum, inter quos acetum nominaſſe ſufficiat, cuius in tollenda cephalalgia frequens vſus eſt, aliarumue ſuaveolentium plantarum medicae facultates impediunt, quominus huic aſſerto ſubſcribere poſſimus. Omittimus, quae de aliis quibusdam ſuſpectis plantis docte monuit, negare tamen non poſſumus, iuſto pauciora nobis videre, quae de ſingulae plantae viribus

nibus protulit, variaque venenatarum plantarum genera nobis deesse videntur, quae primarium in catalogo hoc meruissent locum.

In tertio denique capite plantarum inutiliump. 59. cum vtilibus commutationem exhibuit, siue quod idem est, remedia exposuit, quorum ope sterilitatis damna auerti et fugari possunt. Locutus est iure suo, de stercoratione, aratione et caeteris illis, quibus vulgo vtimur ad agros emendandos, remediis. Accurate de singula specie egit, similiterque monuit, quodnam laborum genus in quouis prato praeferri mereatur. Reliqua stercoris genera fere omnia, pecorum vrina antecellit, vti ab Auctore nostro monetur. Sunt vero haec ita scripta vt ab quolibet legi mereantur.

XVIII.

Obseruationum anatomicarum decadem primam sistit D. GVILIELMVS FRIDERICVS CAPPEL, Sereniss. Brunouic. ac Luneburg. Duci ab aulae consil. med. atque anat. in acad. Helmstad. Prof. publ. ord. Helmstadii 1783. 4. 3. plagg.

Rariores quasdam obseruationes anatomicas hoc opusculum continet, quas excerpere lubet.

In vetulae a frigoris nimia vi extinctae cadauere insignis humorum in internis pectoris et abdominis partibus congestio obseruata est. Ileum intestinum fere perforauerat lumbricus, qui ad eiusdem tunicam tam firmiter adhaerebat, vt diuelli deberet. His vnicus tantum lumbricus aderat. In cerebro nil a naturali statu alieni obseruatum est.

In pueri cadauere febre, vt ferebatur, catarrhalip. 7. demortui, altero post mortem die, abdominis externa facies viridis, in abdomine fluidum rubellum, he-

par permagnum, vt ventriculum penitus absconderet, inuenta sunt. — Aquam coctam et refrigeratam epotam vermium ouula necare hac occasione Cl. vir asserit.

In infanticidae cadauere situs intestinorum a naturali statu paululum alienus iuuentus est. Eum ab omento reflexo sursumque (forte ab vtero grauido) presso Cl. vir deriuat.

In meretricula tres post partum septimanas mortua ex tubulorum lactiferorum extremitatibus via lac in venas reuehens erat conspicua. Pericardium cordi firmiter adnatum inuentum est, nullusque inter cor et pericardium humor. In hoc praeternaturali statu a Cl. viro epilepsiae, qua saepe haec femina correpta est, caussa ponitur.

p. 11. In femina conceptionem nunquam passa vterus angustus ac contractus, orificium eius internum planum ac penitus rotundum, nec in lateribus tumidum, mucilagine albo clausum et angustissimum repertum est. In thorace cor et vena caua polypis referta inuenta sunt. In ramis horum vasorum continuabatur polypus continuus ac penitus membranaceus. Densas huius polypi fibras aqua tepida non resoluit. In durae matris quatuor sinubus magnis polypi pariter obseruati sunt, ita vt mirum Cl. Auctori videatur, quomodo haec femina, tam vehementer impedito sanguinis circuitu viuere

In viri cadauere, qui iam ex longo tempore infeliciter contabuerat, absque obstructionis in quodam viscere aut laesionis in pulmonibus signis, tussi tamen per annum ante obitum et copiosa saliuae excretione praesente, tandemque lenta febre necati, pinguedinis omnis perfecta colliquatio, omentum cum intestino colo arctissime cohaerens, glandulae mesenterii valde obstructae, lymphatica vasa lacte valde turgida, colon transuersum valde angustum, et in

in angustis locis inflammatum, pancreas durum, hepar sanum, ventriculus valde contractus, scirrhosus, quem statum Cl. vir cortici Peruuiano nimis copiose assumto adscribit, inuenta sunt. Pectus angustissimum fuit et pulmones compressit. Pulmones vomicis obsiti lapideam duritiem habuerunt. Humorum tanta acrimonia fuit, vt digiti leuis ab osficulo laesio post anni demum spatium coaluerit.

Omentum sursum retractum ac reuolutum in alio cadauere inuenit. Huic statui, quum omentum multum ad frigus ab intestinis arcendum conferat, ac partibus suis ea, quae tegit, lubricet, ansam colicorum dolorum difficilisque digestionis adscribit.

In alio cadauere hepar sanum alias decem, et p. 192.
hic liuidum colorem habens quinque librarum pondus habuit. In renibus sanguinis grumi et nigredo obseruata est. Vesica vrinaria inflammata et tumida fuit. Lobus pulmonum sinister insolitae magnitudinis ad septem libras ascendit. Aeger cruento mictu extinctus perierat.

In puella 17 mensium ex hydrocephalo epilepsiaque eum excipiente demortua caput in ambitu vlnam fere aequauit, hiatus rhomboideus latitudinem quatuor digitorum habuit, os frontis vsque ad nasi radicem diuisum fuit, nulla tamen aqua sub cute deprehendi potuit, nec caput vllo in loco tumuit. Remota dura matre cerebri lobi valde extensi et substantia externa tenuis reperta est. Diductis cerebri hemisphaeriis, callosum corpus in duram atque callosam membranam mutatum inuentum est, incisaque haec membrana nihil substantiae mollis continuit. Septum lucidum valde crassum. Ex lobis cerebri tenuissimis incisis aqua alba, pellucida, salsa effluxit ponderis librae vnius. Plexus choroideus pallidus, neruorum opticorum thalami vix conspicui. Nerui cerebri quidam pallidi, quidam autem

admodum firmi fuerunt. Optici nerui, vbi coeunt, denſum corpus formarunt, ita vt ex iis conſpici poſſet, quod tunica alba, fortis et firma, quae cerebrum intus degebat ac ventriculos, medulla condenſata fuerit. A ſubſtantia cerebri corticali haec tunica ſeparari potuit. Cerebellum et medulla ſpinalis ſana fuerunt. In ouariis hydrops.

XIX.

Der Arzt und der Afterarzt, zur Belehrung und Warnung fürs Publicum von I. B. *Stendal*, 1783. 4 *Bogen*, 8.

i. e.

Medicus et Pſeudomedicus.

Agit Cl. BÜCKING, auctor huius libelli, de cauſſis, quare homines et non infimae ſortis ad agyrtas confugiant. De corporis humani ſtructura, functionibus, et functionum laeſione, morbos efficiente; de varia pro cauſſarum varietate medendi morbis methodo, de adminiculis variis, quibus ad morborum cognitionem certam medicus peruenire poteſt. Quae omnia quum aſſiduum ſtudium requirant, non poſſe fieri, vt homines, qui ſingulari ſtudio medicinae non incubuerunt, morbos tuto ſanare poſſint. Lectu dignus liber eſt.

XX.

Wie ſoll ein Wundarzt ſich geſchickt bilden? Beantwortet von I. B. *Stendal* 1783, 8. 2½ *Bogen.*

i. e.

De chirurgo apte inſtruendo.

Optandum eſſe, ait Cl. BÜCKING, vt iuuenes in ſcholis gymnaſiisque et artificiorum, opificiorum, commercii, agriculturae, cet. notitiam quandam acquirant, hominesque, priusquam chirurgiam diſcant,

diſcant, diligenter ſe ipſos examinare debere, num partim ingenio praediti ſint, partim autem artis ſuae aerumnas ferre poſſint. De libris chirurgicis legendis. De anatomica ceterisque ſcientiis medicis chirurgis neceſſariis.

XXI.

BERNHARDI SIEGFRIED ALBINI, anatomes et chirurgiae in Academia quae Leidae eſt Profeſſoris, hiſtoria muſculorum hominis cum VIII. figuris. Editio altera, notis aucta. Francofurti et Lipſiae, ſumtibus Tob. Goebhardt, bibliopolae Vniuerſitatis Bambergenſ. 1784. 4. 604. pagg. ſine indice muſculorum, partium, ad quas muſculi pertinent, memorabil. praeter muſculos.

Edidit, vt ſatis inter omnes conſtat, ALBINVS V. Cl. *hiſtoriam muſculorum hominis* L. B. apud Theod. Haak et Henr. Mulhouium 1734 opus ſuo in genere omnibus numeris abſolutum et fere vnicum, quo carere anatomicus nullo modo poteſt. Sed rara eſt haec editio prima in Germania, hinc peropportune venit haec editio recens, accuratiſſime caſtigata notulisque illuſtrata, cui ſuperacceſſit ſuo loco mentio *Tabularum ſceleti et muſculorum corporis humani* L. B. 1747. et libelli ſplendidi, *Cours complet de l'Anatomie par Mr.* GAUTIER D'AGOTY *et* JADELOT, *à Nancy* 1773. inde a Lib. II. in quo auctor de muſculorum ſitu diſſerit. Praeter haec vt editor accuratam operarum curam habuit, ita bibliopola chartae nitidae et literarum acutarum, in ſumma cultus externi.

XXII.

XXII.

Noua phyſico - medica.

Societas ſcientiarum regia *Gottingenſis* in conſeſſu, d. 24. Iulii MDCCLXXXIV. habito, praeter alias oeconomicas quaeſtiones, hanc phyſici argumenti propoſuit:

Ex legibus, quibus denſitas aëris et mercurii a calore regitur, praecepta condere et demonſtrari, altitudinibus barometro menſurandis idonea.

Commentarii, legibus cognitis, ante nouembrem huius anni 1785. mittantur ad Ill. HEYNE, ſocietati a litteris.

Quaeſtio phyſica ab Academia Theodoro Palatina, *Manheimii* congregata, in annum 1785 ſequens eſt propoſita:

Ex forma montis externa, ex lapidum praeſertim et ſaxorum, quibus is conſtat, genere, num venas vel ſtrata metallifera eundem continere dignoſci poteſt? Quaenam ſaxorum ſpecies vnam praealtera metalli mineram ſperare finit, quae nullam? Ex eo, quo ſaxa haec in viſceribus montis diſpoſita ſunt, modo, daturne indicium quoque minerarum?

Tractatus, experimentis et obſeruationibus confirmati, in quibus etiam ea, quae in libris mineralogicis, et a variis peregrinatoribus propoſita ſunt, comparata et commemorata ſint, mittantur ante Auguſti calendas, legibus et methodo conſuetis, ad Ill. LAMEY, Conſil. aul. et Academiae Secretarium. Praemium, optimo commentario tribuendum, eſt moneta aurea, quinquaginta numorum aureorum pretio.

In Academiae ſcientiarum, artium et bonarum litterarum *Diuionenſis* conſeſſu publico, die ſecundo Auguſti, 1784, habito, praeter alia, alias diſciplinas

plinas ſpectantia, Cl. DE MORVEAU legit tractatum, de remediis ſubſtituendi lapidi calcareo ſicco (*maigre*), qui ad formationem mortarii adeo neceſſarius eſt et qui adeo raro inuenitur, mixturam lapidis calcarei pinguis cum magneſio. Detexit enim hoc foſſile in calcareo ſicco BERGMANNI, quo Cl. DE MORVEAU hanc commixtionem tentauit, eiusque utilitatem tentaminibus probauit. Deinde analyſin aquarum mineralium, iuxta Chatillon, non procul a Bellay inuentarum inſtituit, quae aquis ſpadanis natura et vi aequales, imo praecellentiores ſunt. Denique produxit fruſta Baſaltina, ex monte quondam igniuomo Dreuinenſi, quae magneti in eo ſimilia erant, quod duos diſtinctos polos haberent, quod tentamine cum ferro magnetico inſtituto coram ſocietate confirmauit. Ex eodem Baſalte vitrum fudit nigrum, duarum horarum ſpatio. Deinde Cl. CHAUSSIER nouam indicauit methodum, qua chryſalides *phalaenae mori* in folliculis interimi poſſent, ita vt ſericum non laedatur. Tractatus Cl. DAVBENTONI lanae perfectionem in Burgundia ſpectabat.

Academia humaniorum litterarum ſcientiarum et artium *Burdegalienſis* praemium duplum diſtribuit commentario optimo quaeſtionem de conſervatione Zeae Maydis reſoluenti deſtinatum, cuius Auctor erat Cl. PARMENTIER. Continet eius tractatus analyſin Zeae et methodum ex ea panem conficiendi.

Cum ad quaeſtionem *de lecti mictione* nemo accurate ſatis reſponderit, eandem miſſam fecit.

Iam in annum 1786 hanc quaeſtionem propoſuit: Eſtne inter vegetabilia et mineralia analogia quaedam ſenſibilis, atque talis, vt ex ſola plantarum, quae ſponte ſolo cuidam innaſcuntur, inſpectione, natura terrae, atque ſpecies minerarum in terra

terra abditarum cognoſci queat. (*Exiſte-t-il entre les végétaux et les mineraux, une analogie ſenſible, telle que par l'inſpection ſeule des plantes, qui croiſſent naturellement dans un terrain on puiſſe reconnoître, ſoit la qualité des terres, ſoit les eſpeces de mineraux qu'il peut renfermer?*)

Academia, etſi theoreticas tractationes non contemnit, optat tamen praecipue factis et obſervationibus probatam tractationem, terminis botanicis *Linneanis* et *Tournefortianis*, in mineralogicis autem WALLERIO et CRONSTEDTIO conſuetis conſcriptam.

Commentarii mittantur ante calendas Aprilis ad Cl^um^ DE LAMONTAIGNE, Conſiliarium Conſilii ſupremi prouincialis, qui Academiae ſemper eſt a ſecretis.

Societas regia oeconomica *Lugdunenſis* in conſeſſu, die 11 Iunii, 1784. praemium quaeſtioni de optima conſtructione furni piſtorii, quo lithanthraces comburi poſſint, deſtinatum, tribuit Cl^o^ LANOIX, demonſtratori chemiae, qui cum ſocio quodam ſuo, optimum furnum conſtruxit, et duodecim requiſita tentamina coram ſocietate inſtituit. Cl. TIERENS et BARTENSCHLAG praemia acceſſoria obtinuerunt. Itidem Cl. Abbas BRUN tentamina lithanthracibus in furnis piſtoriis vtendi inſtituit, cum optimo ſucceſſu, quae omni laude ornauit ſocietas.

Quaeſtionem, quam eadem ſocietas de macerratione cannabis propoſuit, in annum 1785 prolongauit. Eſt autem quaeſtio, cuius ſolutio phyſices et chemiae cognitionem poſtulat, digna, quae a nobis repetatur: Quaenam eſt vera theoria macerationis cannabis? Quo modo eius exercitium magis perfectum fit, ſiue illa in aqua, ſiue in aere fiat? Quonam in caſu haec illi eſt praeferenda?

Qua-

Quanam methodo odor ingratus, atque effecta nociua macerationis in aqua caueri poſſunt? (*Quelle eſt la vraie theorie du Rouiſſage du chanvre? Quels ſont les meilleurs moyens d'en perfectionner la pratique, ſoit que l'operation ſe faſſe dans l'eau ou en plein air? Quels ſont les cas, ou l'une de ces opérations eſt préférable à l'autre? Y auroit-il quelque maniere de prévenir l'odeur deſagréable et les effets nuiſibles du Rouiſſage dans l'eau?*)

Commentarii mittantur ad Cl^um^ Abbatem DE VITRY, ſolutis vectigalibus ante calendas Martii, anni 1785.

Cognita ſunt Cl^i^ LAVOISIER experimenta, decompoſitionem aquae eiusque in aërem conuerſionem ſpectantia: iam vero idem celeberrimus chemicus ſpiritus vini combuſti phaenomena declaravit, inuenitque, ſpiritum vini, hanc adeo penetrantem, euaporabilem, et inebriantem ſubſtantiam combuſtione in aquam puriſſimam conuerti. Suppeditauit eidem Cl^us^ MEUNIER, academiae Pariſinae ſocius, apparatum ſimpliciſſimum, quo ſpiritum vini omnem non ſolum in aquam conuertit, ſed etiam maiorem aquae copiam inde obtinuit, id eſt, ex libra ſpiritus vini, ſedecim vnciarum, obtinuit combuſtione octodecim vncias aquae puriſſimae. Aucta haec maſſa aquae deducenda eſt ex decompoſitione aëris, quo ad combuſtionem ſpiritus vini vtebatur Cl. LAVOISIER. Ipſa haec experimenta, quibus theoria Cl^i^ Auctoris abunde confirmatur, inſtituit coram academia, die 4to Septembris, 1784.

Societas *Taurinenſis* elapſo menſe Iulio datis litteris honorificentiſſimis ab Auguſto Rege in Academiam

demiam ſcientiarum euecta eſt. Haec Academia ſocios nationales habet quadraginta, exteros viginti; correſpondentium numerus definitus non eſt. Academia hoc ſibi inprimis propoſuit, vt phyſicam et mathematicam diſciplinam magis excolat, et perficiat. Dignitates Academicae quinque ſunt: Praeſes eſt Clariſſimus atque Illuſtriſſimus Comes SALUZZE; Praeſes vicarius Comes MOROZZ. Secretarius eſt Abbas VALPERGA DI CALUSO. Theſaurarius Cl. CAROL. ALLIONI, et Cl. BOCCARDI, typographiae et expeditionum director. Vicepraeſidis dignitas per annos tres durat: aliae dignitates perpetuae ſunt. Sociorum electiones Academiae ſuffragiis fiunt, factae vero ab auguſto rege comprobandae. Cl^is viris EVLERO, D' ALEMBERT, et SPIELMANN defunctis, ſuffecti ſunt Cll^i D. LEXELL, Cl. SCOPOLI, et Cl. DE LAMMANON et Salon in Galloprouincia.

Lugduni Batauorum Cl. NICOLAVS PARAVI, qui hactenus Amſtelodami praxin medicam exercebat, Profeſſor ordinarius medicinae factus eſt.

Cl. SOEMMERING a *Caſſellis* in academia Moguntina Profeſſoris anatomiae et phyſiologiae munus accepit.

Cl. CAROLVS PETRVS THVNBERG, in locum LINNEI fil. ſucceſſit, et Profeſſione botanica in vniuerſitate *Vpſalienſi* fungitur.

In eadem academia D. IOH. ACREL, magni Chirurgi Sueci, eiusdem nominis ex fratre nepos, hactenus ibidem Medicinae adiunctus, Medicinae Profeſſor extraordinarius denominatus eſt.

Mortui

Mortui ſunt:

Burbonii ad Balnea (*Bourbonne aux Bains*) d. 2. Aug. 1784. Cl. PRIGNON, ordinis regii eques, familiaris per litteras Academiarum ſcientiarum et litterarum elegantiorum Pariſinae, Diuionenſis, et Catalaunenſis. In rem phyſicam vniuerſam bene meritus eſt et in annalibus ſcientiarum egregiae commentationes ipſius exſtant, de cryſtalliſatione metallorum, de anchoris marinis ita elaborandis, vt perfectae ſint atque omnibus numeris abſolutae, de cuniculis ignis vi diſplodendis, de ignis et aquae reciproca actione, de cementatione, de noua tormentorum bellicorum fabrica, de ferro et chalybe.

Pariſiis d. 10. Aug. 1784. Cl. V. ANTOINE DESTREMAU, regiae Academiae chirurgicae ſocius, et medicus obſtetricius Comitis Arteſiae. Per aliquod tempus cum laude chirurgiam in noſocomio ad Deum dicto exercuit, receptus autem a Collegio regio arti obſtetriciae ſuam dicauit operam. Scripta eius artem medendi concernentia plurima leguntur in diariis litterariis medicorum.

Circa menſis Auguſti medium *Pariſiis*, IOH. FRANC. CLEMENS MORAND, Eques, Doctor regens, Profeſſor anatomiae et artis obſtetriciae in ſcholis a facultate pro obſtetricibus apertis, ſtipendiarius academiae regiae ſcientiarum, medicus adiunctus noſocomii militaris inualidorum, archiater STANISLAI regis Poloniae, ſocius academiarum Holmiae, Florentiae, Madriti, Londini, Rothomagi, Lugduni, Aſſeſſor honorarius collegii medicorum Leodienſium et medicorum Nanceianorum, medicus caſtrenſis Normannorum, primogenitus celeberrimi chirurgi MORANDI filius. Natus eſt Pariſiis d. 28. Aug. 1726. Plus quam triginta ſcriptis plurima capita artis ſalutaris, phyſicae et naturalis hiſtoriae concernentibus inclaruit, inter quae emi-

nent, de ossibus in vniuersum emollitis, de morbo quodam prodigioso puellae cuiusdam ex vesica et ore calculos reiicientis, de quamplurimis aquis mineralibus Lotharingiae et Comitatus Franciae etc.

Sub finem mensis Augusti *Parisiis* LAVRENTIVS GARNIER, Archiater regius, et Consiliarius aulicus, Medicinae Doctor, Decanus et Professor collegii Lugdunensis, medicus senior nosocomii a Deo dicti, et socius honorarius academiae scientiarum Parisinae. Plurima eius scripta inserta sunt diario medico, et collectioni commentariorum academiae Lugdunensis. Edidit quoque librum patris, *les formules de medecine du College de Lyon*, ac praeterea scripsit *sur les maladies venteuses, l'hidropisie et les diabetes.*

Calendis Septembris 1784 *Nemausi* mortuus est Celeberrimus IOANNES FRANCISCVS SEGUIER, Academiae scientiarum a secretis, Auctor Bibliothecae botanicae, et descriptionis plantarum Veronensium meritissimus. Collectionem naturalium, atque librorum, antiquitatumque Academiae Nemausinae dono dedit.

Mense Septembri anni 1784, *Rothomagi*, Cl. DAVID, Chirurgus primarius in nosocomio deo dicato, annos quadraginta circiter natus.

Die 9. Octobris 1784. Ill. DETHARDING, Consiliarius aulicus, Medicinae Doct. et Prof. publ. ordinarius *Bützowii*. Natus erat anno 1699, Rostochii. In eius locum successit Cl. B. C. GRAUMANN.

Die 11. Octobris, 1784. D. IO. FRID. LOESTEIN, Professor anatomiae celeberrimus, *Argentorati*, anno aetatis quadragesimo nono.

Nuper *Parisiis* defunctus est V. Cl. BOSC D'ANTIC, Med Doctor et regis Francogalliae archiater, Societati regiae scientiarum Parisinae, Academiae

Dimio-

Diuionenſi, Claraemontanae, Ferrandinae, Turinenſi, et Academiae artium Londinenſi litterarum commercio iunctus, inprimis chemiae ſuum dicauit ſtudium, atque ſcriptis inclaruit, quorſum pertinent commentationes binae lectae anno 1758. coram academia regia ſcientiarum, quarum altera, de cauſis bullarum in vitro inuentarum, altera de bullis in metallis ſaepiſſime ſub fuſione et poſt illam obſeruatis, agit; ambae autem praemio ſunt ornatae; porro de cineribus clauellatis, de vitro tabulato conficiendo, de modo cineres clauellatos Francogallis procurandi, ne ab exteris eos accerſere cogantur, de remediis omnes artes manuarias perficiendi, de ſignis externis, quorum ope ferrum aliaque metalla in claſſes ſunt redigenda, de acido animali et aëre inflammabili. Maxima ſcriptorum eius pars iunctim edita eſt Pariſiis, 1780.

Sub prelo ſudat iam dudum promiſſa *Flora Pedemontana* Cl^i CAROLI ALLIONI, cuius impreſſio proxime abſolutam fore accepimus; liber hic duobus voluminibus in folio continebit ſtirpes pedemontii indigenas, quae quidem numeroſae ſunt, adeo vt nulla, cryptogamiis exceptis, aequalis et adeo numeroſa flora euulgata videatur: Tabulas habet nonaginta in folio, quibus nouae et rariores ſtirpes repraeſentantur; aliquid noui habet ſyſtema. Characteres generum ſumma perſpicuitate et praeciſione excuſos eſſe accepimus. Adiecit Auctor virtutes ex practica, vt aiunt, obſeruatione, cautelas, atque circumſtantias earum adhibendarum definiens.

Idem Cl. ALLIONI etiam plurimum temporis impendit conſcribendo libello de pulſu in genere, atque primum de pulſu febrili. Videtur ſibi Cl. Auctor accuratius, atque diſtinctius pulſuum differentias, characteres, atque eorundem ſignificationes determinaſſe, plurimaque noua in hac re detexiſſe, quibus

qus characteres pulſuum, qui ad peculiares morbos, aut criſes pertinent, clarius atque euidentius traduntur.

Cl. FRANCISCVS XAVERIVS BURTIN, Medicus, et CAROLI Ducis Lotharingiae archiater, pluriumque academiarum ſocius, prodire parat librum: *Oryctographie de Bruxelles, ou deſcription des foſſiles tant naturels, qu'accidentels, decouverts juſqu'à ce jour dans les environs de cette ville*, in fol. cum fig. aeneis XXXII. viuis coloribus pictis. Congeſſit in eodem obſeruationes per octodecim annos inſtitutas, in itineribus hunc in finem ſuſceptis confectas, vt inde de vtilitate eius ad omnem phyſicam ſcientiam multa bona ſperare liceat. Cui placet ſubſcriptio commendatur 48 librarum gallicarum, 6 libris in anteceſſum ſolutis, reliquis, cum liber prodierit, cui accipiendae ſeſe obtulerunt Cl. IACOBS, Profeſſor chirurgiae Gandenſis, ANDRÉ COLINS, officinae pharmaceuticae magiſter Antuerſienſis, LOYERS, librarius Traiectinus ad Moſam, MATHIEU, librarius Nanceianus, multique alii.

Cl. BACHER, Fac. med. Pariſinae Doct. regens, qui *Diarium medico chirurgico pharmaceuticum* continuat, quod ſub titulo *Journal de Médecine* etc. Pariſiis prodiens quinquaginta et octo volumina continet, et cuius epitomas ſubinde tradidimus, conſilium de noua editione huius diarii curanda cepit, ita quidem, vt ſubſcribentibus ille vtiliſſimus liber pretio leui ad manus perueniat. Ordo ſeruabitur hic, vt haec poſterior editio priorem in omnibus et adeo paginarum numero aequet. Pro quindecim voluminibus viginti et quatuor librae gallicae ſubſcribuntur, et quilibet anno 1785 omnes collectiones huius libri accipiet, hoc ſiquidem vltima quindecim volumina prodibunt. Duodecim librae pro anno 83 et totidem pro 84 ſubſcribuntur. Anno 1784

1784 menſe Iulio ad illud diarium eo commodius vtiliusque reddendum tabula generalis prodiit, qua vno obtutu, quae in omnibus continentur voluminibus, perſpicere licet.

XXI.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1779 prodierunt.

Beſtimmung der Beſtandtheile einiger Edelſteine, von F. C. ACHARD, *mit Kupfern, Berlin.* 8. (In ſupplementis eius epitomen tradamus).

Practical obſervations upon amputation and the aftertreatment, by EDW. ALANSON. Rivington. 8.

The natural hiſtory of Engliſh Song-birds etc. by ELEAZAR ALBIN. London, 8. (*Non vidimus, quantumuis operam dederimus*).

ALBVCASIS de chirurgia. Arabice et latine. Cura IO. CHANNING, To. I. II. Oxford. 4. (*inutilis libri ſat cogniti editio*).

Inſtruccion curativa y perſecutiva de dolores de coſtado y pulmonias; por Don JUAN AONAR. En Madrid. 4. (*Sat cognita repetit*).

An inquiry into the cauſes, that have hitherto retarded the advancement of agriculture in Europe; with hints for removing the circumſtances that have chiefly obſtructed its progreſs, by JAMES ANDERSON. Edinburgh and London. 4.

Obſervations on the Theory ad Cure of the Venereal Diſeaſes. By JOHN ANDREE. Lond. 8.

D'ARCET *Abhandlung über die pyrenäiſchen Gebirge, und über die Urſache ihrer abnehmenden Höhe, aus dem Franzöſiſchen. Berlin.* 8. (dabimus de eo cenſuram in ſupplementis).

Abhandlung über die Krankheiten der Pflanzen, ihre Kenntnis und Heilung, aus dem Lateiniſchen, von

IOHANN *Grafen von* AUERSPERG. *Augſpurg.* 8. (compilatus, nec obſeruationibus fundatus liber).

De' Terremoti dell' anno 1779 opuſcoli di P. AVGVSTI, in Bologna. 8. (*Pſeudonymus* CIMALLE HURGEO *et auctor huius libri vnus idemque, et quidem continet liber hic adductus additiones ad Epiſtolas tres, quas laudatus* HURGEO *de Terraemotu Bononienſi prius ediderat*).

E. G. BALDINGERS *neues Magazin für Aerzte. Erſter Band, zweyten Bandes erſtes Stück. Leipzig.* 8.

